Qua ratione poetae veteres Romani in hexametro sensus interstitium collocaverint

Dissertatio inauguralis,

quam amplissimi

philosophorum Vratislaviensium ordinis
consensu et auctoritate

ad summos in philosophia honores

rite capessendos

una cum sententiis controversis

die XXIX. mensis Decembris anni MCMVI hora 11¼

publice defendet

Franciscus Sylla
Silesius

Adversarii erunt:
J. Masur, cand. phil.
P. Thomas, cand. phil.

Vratislaviae,
apud Grass, Barth & socios univ. typogr.
MCMVI

Impressa est dissertatio consensu amplissimi philosophorum Vratislaviensium ordinis.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit

Franciscus Skutsch

Examen rigorosum habitum est a. d. IV. Kal. Dec. anni MCMVI.

Matri carissimae

S.

Prolegomena.

Nicanor grammaticus de interpunctione cum in universum, tum apud Homerum, Callimachum, Theocritum scripsit (Suidas s. v. Νικάνωρ). Ex reliquiis eius operis, quae in scholiis Homericis servatae sunt[1]), eum non solum de interpunctionis generibus, sed etiam de locis eius ambiguis et in singulis hexametri sedibus usu egisse elucet (Schol. in Il. M 49. 434; O 360. Schol. Harl. in Od. β 77). Sed illa ratione interpungendi, utpote quae nimis artificiosa esset, posteriores abstinebant (Blass, Palaeographie, Iw. Mueller Hdb. I² § 12) neque omnino singulis hexametri locis interpunctionis signa curabant.

Sed cum in hexametri leges metricas initio saeculi undevicesimi inquirere viri docti inciperent, etiam ad sensus intervalla animos converterunt, quae cum metricis versus incisionibus saepe concurrere solent. Itaque multis locis de interpunctione vel sensus distinctione et Graeci et Latini hexametri multi disputaverunt.

De sensus finibus in hexametro Latino admissis, quos tractare mihi proposui, multa observavit et totam rem amplecti in animo habuit Lucianus Mueller in libro: De re metrica poetarum Latinorum, Lipsiae et Petropoli 1894². Nonnulla de hac re attulerunt Hilbergius, Verhandlungen der 39. Philolog. Vers. in Zürich 1888 p. 230 sqq. et

---

1) Nicanoris περὶ Ἰλιακῆς στιγμῆς reliquiae ed. Friedlaender, Regiom. 1850. Nicanoris περὶ Ὀδυσσειακῆς στιγμῆς reliquiae ed. Carnuth, Berol. 1875.

Nordenus, Vergils Aeneis Buch VI, Leipzig 1903, Anh. II 4 p. 377 sqq. Quorum alter quibusnam locis hexametri Latini poetae dactylici dissolutiones[1]) consulto vitassent, alter de rebus quibusdam, quae ad interpunctionem intra versum adhibendam pertinent, disputavit. Antea Bentleius ad Luc. I 231, Ed. Gerhardus in libro, qui inscribitur: Quaestiones Apollonianae, Lipsiae 1816 p. 221, Ph. Wagner in quaestionibus Vergilianis (in editione Vergilii Heyniana, Londoni 1832[4] vol. IV.) XIII p. 431, C. A. J. Hoffmannus in libro: Quaestiones Homericae, Clausthaliae 1842 § 35 occasione data singuli singula ex hac materia perstrinxerunt.

Inter hos qui totam rem amplexus est Lucianus Mueller male absolvit, quod quaestionem leviter et strictim attigit et menda admisit haud pauca, imprimis quod in interpunctione qualis in fine versus se habeat statuenda a pentametro profectus est. Accedit, quod quae de caesuris versus hexametri Latini docuit, cum haec non parvi momenti sint in quaestione nostra tractanda, non ab omnibus probantur.

Itaque accuratius quam adhuc factum est explorandam esse interpunctionem versus hexametri Latini arbitratus denuo rem tractandam suscepi, verum in hac dissertatione non omnium poetarum dactylicorum Latinorum, sed tantum eorum rationem describam, qui ante mortem Caesaris scripserunt. Etiam hexametrum elegiacorum praetermitto, quia distichon ab alio initio quam versum heroicum profectum esse existimo. Accedit, non solum quod iam epigrammatici Graeci interpunctionis leges a poetis epicis imprimis in quinto pede hexametri observatas neglegebant (cf. Gerhard, l. c. p. 225 et p. 229), verum etiam quod pentametrum angustioribus finibus

---

[1]) Hoc verbo significabo id quod nos dicimus *Satzfuge*.

circumscriptum paulatim, etsi non ad compositionem hexametri, tamen ad sensus incisiones ita valuisse constat, ut metri finis cum sensus fine consentire soleat.

Ac de interpunctione versus heroici sic disserere mihi proposui, ut quaeram, num quolibet versus loco ponatur, quibus locis imprimis posita, raro admissa vel omnino vitata sit, deinde quali distinctione poetae dactylici in singulis versus sedibus usi sint.

Quibus de quaestionibus bene et recte agi non potest, nisi rationes metricae uniuscuiusque poetae respiciuntur, quia sensuum incisiones cum versus incisionibus artissime cohaerent. Nam iure monuit L. Mueller, l. c. p. 209, apud veteres metri rationes potiores haberi quam sensus, quam sententiam probavit Guilelmus Meyer, Sitzungsberichte der Münch. Akad. 1884 p. 1044.

I.

Priusquam igitur ad sensus clausulas in versu heroico tractandas accedamus, primum consideremus, quas metri rationes ad nostram quaestionem pertinentes recentiores metrici statuerint, quae a poetis in singulis versus pedibus conformandis observabantur.

Poetae dactylici Romani cum in primo pede hexametri dactylum spondeo praeferrent (Christ, Metrik der Griechen und Römer 1879² p. 165), hic pes ut e dactylico quoque verbo constaret permittebant (cf. Wagner, l. c. p. 431). At caverunt, ne in initio versus dactylicum verbum collocarent, si sequeretur caesura tertia trochaica et tertius semipes efficeretur voce monosyllaba (Guil. Meyer, Sitzungsberichte der Münch. Akad. 1889 II p. 228). Neque magis versum a spondaica voce incipere licebat, quod post primum spondeum incisio numeris magnum detrimentum affert et versum inelegantem et invenustum reddit

(cf. Wagner, ibid.; Birt, Ad historiam hexametri lat. symbola, Bonnae 1876 p. 18; L. Mueller l. c. 240; Norden l. c. App. VIII p. 435). Sed ab omnibus poetis dactylicis vocabulum monosyllabum vel trochaicum versum incipiens adhibitum est (cf. Schaper, De tertio hex. lat. ordine, Progr. Gymn. Insterburg 1862 p. 3). Etiam a longioribus vocabulis versus heroicos incipiunt poetae, sed hoc parum pertinet ad nostram quaestionem.

Pedem alterum ne vocibus dactylicis vel spondaicis vel talem in modum exeuntibus efficerent, poetae dactylici imprimis qui dicuntur classici caverunt (cf. Mueller l. c. p. 249); sed post secundam arsin verbi finem admittere solebant, ut quartus quintusque semipes quodammodo instar anapaesti esset (cf. Mueller l. c. p. 241; Meyer l. c. 1889 II p. 228).

Sedulo autem et diligenter poetae dactylici observabant, ne tertius pes e dactylico vel spondaico vocabulo aut vocibus talem in modum desinentibus constaret (cf. G. Hermann, Elem. doctrinae metricae, Lipsiae 1816 p. 337; Mueller l. c. p. 246; Norden l. c. App. XI p. 451). Itaque non raro evenit, ut eum, cum poetae non semper sextum septimumque semipedem inter se cohaerentes fecerint, aut in vocabula monosyllaba longa aut trochaica sive spondaica elisa aut pyrrhichiaca aut tribrachyca elisa exeuntem videamus. Quibus nil est in hac sede offensionis, etiamsi post sextum semipedem sensus fit intervallum, dummodo oratio procedat.

In quarto pede vocabulum dactylicum aut in dactylum desinens collocare semper licuit. Hoc tantum displicebat et minus comprobatum erat, si in eo pede caesuram bucolicam vocabulum spondei mensura antecedebat (cf. Birt l. c. p. 18; Mueller l. c. p. 240; Meyer l. c. 1884 p. 1057; Norden l. c. App. XI p. 451). Praecipue est notandum poetas dactylicos et Graecos et Latinos in quarto

pede caesuram trochaicam non admisisse nisi rarissime (cf. G. Hermann, Orphica, Lipsiae 1805 p. 692; Elem. d. m. p. 338). Quamquam saepius apud poetas Latinos quam apud Graecos eam inveniri, veluti apud Lucretium, Hermannus l. c. memorat.

Iam ad finem versus si accedimus, hanc partem a Guilelmo Meyero l. c. 1884 p. 1033 praecipuum atque singularem locum inter pedes hexametri qui vocatur classici obtinere dictum est. Nam poetas Romanos versu heroico recepto inde ab initio in pede quinto sextoque has leges componendi observasse videmus: primum magnopere omnes poetae caverunt, ne post arsin quintam incisione facta versus in vocem quattuor syllabarum exiret. Itaque longe maxima pars hexametrorum ita pangitur, ut versuum finem expleant voces disyllabae aut trisyllabae. Sed interdum versum in duo vocabula disyllaba exire concessum erat. Deinde in fine versus monosyllabum non ponitur, nisi praecedente monosyllabo. Quare ne in sexta arsi voces choriambicae aut anapaesticae aut iambicae finirentur, plerumque poetae dactylici veriti sunt (cf. Meyer, l. c. 1884 p. 1033).

II.

His metri rationibus observatis certae versus incisiones poetis ultro sese offerebant, in quibus sensus finem ponere poterant. Itaque poetas metri rationibus in distinctione collocanda plerumque teneri videmus. Quo non difficile impetraverunt, ut fines sensuum et rythmorum incisiones bene inter se concinerent (cf. Mueller l. c. p. 265; Hartel, Hom. Studien, Leipzig 1873[2] p. 93). Quamquam non semper sensuum fines et rhythmorum incisiones concinere posse consentaneum est, ut non semper rationes metricae supra expositae a poetis observatae sunt. Sed vel sic id spectabant, ne sensuum et rhythmorum

clausulae nimium discreparent. Itaque recte observavit L. Mueller p. 265 sq. sensus clausulam eo minus habituram offensionis, quo magis accommodetur pedum divisionibus.

Maxime quidem carebit offensione interpunctio in fine versus collocata, quae rhythmum omnino perturbare non potest. Quam ob rem poetae dactylici et Graeci et Latini permittebant, ut hoc loco enuntiationes cuiusvis generis desinerent et sententiae quam frequentissime distinguerentur (cf. Gerhard l. c. p. 207; Hartel l. c. p. 94; Mueller l. c. p. 265).

Intra versus autem loci, quibus distingui poterat, caesuris, utpote quae rhythmi intervalla artificiose arcessita essent, patebant (cf. Mueller p. 265). Sed haudquaquam eo loco, quo incisio rhythmica et interpunctio concurrunt, poetam semper principalem caesuram ponere voluisse credendum est (cf. Meyer l. c. 1884 p. 1045). Nam sensus incisiones omnino cum versus caesuris rhythmicis congruere apud nullum poetam certis legibus firmari potest (cf. Christ l. c. p. 172). Neque probo sententiam L. Muelleri, qui opinatur distinctionem in caesura facilius admitti quam in fine versus (cf. p. 265), etsi sane eam illo loco frequentissimam esse concedo.

Sed non solum in his versus incisionibus, quae caesuris rhythmicis et eis conexibus verborum efficiuntur, quos ad obtinendas metri rationes supra expositas poetae adhibebant, distinctio collocari potest, cum ordines[1]) versus, qui singulis vocabulis constant, omnibus hexametri locis terminari possint. Itaque quid est, cur dubitemus, quin poetis, cum sedecim locis ordines hexametri finiri possint, post unumquemque distinctionem admittere licuerit?

---

[1]) Ordines intellego partes metri, quae constant sive arsi sive thesibus pedis.

Quae cum ita sint, de sensuum clausulis quaestionem etiam ita instituere debebimus, ut percensentes singulos versus ordines et hoc consideremus sitne unaquaeque sedes distinctionis ad sensum terminandum apta necne, et ilud quibus causis commoti poetae locis ad interpungendum non aptis sensum clauserint.

III.

Iam igitur postquam versus rationes metricas exposui et in universum quibus locis eius distinctio collocari possit disserui, ad exquirendos hexametri singulos ordines accedam, ut demonstrem, quod proposui quibusque condicionibus interpunctio in unoquoque admissa sit.

1.

De interpunctione in primo hexametri pede L. Mueller l. c. p. 270 sic disserit: 'Porro initio versus nisi finis praecedentis interstitio sententiae erit diremptus, post primi pedis partem quamlibet ne interpungatur refert elegantiae. Ceterum qualicumque sub condicione primam arsin a proximis segregari parum placet. Maxime autem illud inconcinnumst totum circuitum finiri circa principia metri.' Quam sententiam longissime a vero abesse Schaper in dissertatione: De tertio hex. lat. ord. p. 5 contendit. Sed Muelleri sententiam non tam longe a vero abesse quam minus accurate expressam esse existimo. Praeterea Muellerum non solum primum primi pedis ordinem, cum de initio versus diceret, sed totum primum pedem in animo habuisse ex exemplis ad hanc sententiam fulciendam allatis apparet. Et profecto poetae, quorum de interpunctionis usu dicturi sumus, caverunt, ne post quamlibet primi pedis partem finis sententiae, quae ab initio versus incipiens per se constaret, fieret.

Nam eiusmodi sententiae non exstant nisi in his versibus:

Lucil. 282 (M.)

dixi, ad principium venio....
156 odi hominem, iratus pugno nec longius quicquam
336 arripio, et rostrum labeasque hoc vociferanti

Lucr. III 490

desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat (cf. p. 23).

Enn. 439 (V^{2}.)

it eques et plausu cava concutit ungula terram.

Lucil. 264

rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor (cf. p. 29).

Adiungi possunt haec exempla: Lucr. II 975

quid, genus humanum propritim de quibus auctumst?

I 655

id quoque: si faciant admixtum rebus inane

IV 788

quid porro, in numerum procedere cum simulacra
cernimus,

Lucil. 1050

quid dare, quid sumti facere et praebere potissit.

cf. 278. 1315. Lucr. I 1000.[1])

[1]) Verbi fieri formis ut coniunctione succedente, quarum usus apud Lucretium latissime patet, non sententiam, quae sui iuris sit, contineri, sed hanc formulam unius verbi instar esse iam Lachmannus ad Lucretium VI 1007 dixit.

cf. I 919 fiet uti risu tremulo concussa cachinnent.
VI 426. IV 944.

Hoc docent imprimis exempla in quibus *fit ut* sic collocatur ut in hoc versu: Lucr. IV 1279

deteriore fit ut forma muliercula ametur

cf. VI 204. 727.

Etiam formulam *adde quod* (Lucr. I 847) nec non has *facit ut* (VI 343), *effice ut* (I 29) similesque pro uno vocabulo esse puto.

Eodem modo interiectiones sententiam, quae per se constat, non efficiunt, sed arte cohaerent cum rebus in sententiis ad quas referuntur expressis.

Postquam igitur demonstravi poetas veteres in primo pede voces ponere vitasse, quae ipsae sententiam aliquam exprimant, animum imprimis converto ad eas voces, quae cum eis quae antecedunt coniunctae enuntiationem claudunt et ab eis quae sequuntur distinctione seiunguntur. Omitto igitur ea exempla, in quibus voces cuiuslibet enuntiationis in initio versus ab eis secernuntur, quae post enuntiationem interpositam sequuntur.[1]) Nam tali in interpunctione vox quam minime subsistere solet, quod oratione procedente ad ea quae sequuntur properat, qualem in modum versus compositos elegantissimus quisque poeta saepe admisit (cf. Schaper, De duobus primis hexametri Latini ordinibus, diss. Regiom. Pr. 1856 p. 8 sqq.). Vide e. gr. Lucr. III 798

quare, corpus ubi interiit, periisse necessest. . .

§ 1. Ac iam videamus, num post primum hexametri ordinem enuntiationem in praecedenti versu incohatam poetae antiquissimi Romani clauserint. Nam tali distinctione dissonantiam membrorum logicorum et metricorum propter metri finem proxime ante finitam sententiam incidentem fieri L. Mueller l. c. p. 266 recte contendit. Quamquam hanc dissonantiam antiquissimum quemque poetam Romanorum Ennium, Lucilium, Lucretium admisisse Schaper in dissertatione p. 16 demonstravit exemplisque allatis affirmavit.

Nostrum igitur est examinare qua condicione hanc distinctionem a poetis, quos vocant classicos, alienam (cf. id. ibid.) poetae antiquissimi admiserint.

I. Post primum hexametri ordinem poetae veteres sensus incisionem ita admiserunt, ut vocem, qua finirent sententiam, elisione decurtarent sequentemque sententiam plerumque particulis *et*, *atque* adsererent.

---

[1]) Etiam in aliis versus sedibus interpunctionem tractare omitto, qua sententia intercalata diiungitur.

Tali condicione sensus finitus invenitur apud Lucilium et Lucretium.

1. inter duas enuntiationes eiusdem generis.

a. Lucil. 258

peccare inpune rati sunt
posse et nobilitate facul propellere iniquos.

Lucr. I 839

ex aurique putat micis consistere posse
aurum et de terris terram concrescere parvis.

cf. VI 983.

b. Lucil. 62

quae ego nunc <huic> Aemilio prae-
canto atque exigo et excanto

Lucr. I 635

quapropter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere solo,

cf. (I 706) I 861 VI 16 (B.), 44.

2. Primum autem, si Marxium sequimur, graviorem interpunctionem quamvis elisione obscuratam post primum hexametri ordinem invenimus apud Lucilium: v. 34

quare divinas quicquam? an tu quaerere debes
ipse? et si scis quod bellum est scire, hoc dare tempta.

Marxius in v. 34 coniecturam Gesneri *quaerere* pro lectione tradita *quare* recepit et versus hunc in modum conformavit. Rectene autem illa recepta gravem distinctionem post primum hexametri ordinem posuerit dubito.[1])

3. Sententias diversi generis post primum hexametri ordinem elisione admissa distinctas hi versus exhibent:

---

[1]) Nuperrime Fr. Leo alia causa commotus in his versibus a Marxio sic restitutis offendens hanc lectionem proposuit:

quare divinas quicquam aut quare sapis ipse?
et si scis, quare bonus es? scire hoc dabis? tempta.

cf. Gött. gel. Anz. 1906 p. 842 sq.

Accius, Ann. fr. 3,6 (B.):

nosterque itidemst mos traditus illinc
iste, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Lucr. IV 1011

porro hominum mentes, magnis qui mentibus edunt
magna, itidem saepe in somnis faciuntque geruntque.

Vides igitur poetas veteres Latinos talem in modum post primum ordinem sensum raro incidisse, quamquam is distinguendi usus apud Graecos offensione caret et iam in carminibus Homericis invenitur (cf. Hartel l. c. p. 95).

II. Neque multo saepius aliis sub condicionibus in ista sede sensus finem poetae veteres Latini admiserunt.

Ennius post primam arsin uno loco ita distinxit, ut enuntiationem secundariam, quae constat e comparatione e ludis circensibus sumpta, enuntiationi primariae interpositam ibi finientem faceret (cf. Pullig, Ennio quid debuerit Lucretius I. diss. Hal. 1888 p. 24):

Enn. 85 exspectant, veluti consul cum mittere signum
volt, omnes avidi spectantes carceris oras.

Quod autem ad sensus incisionem post primum ordinem apud Lucilium et Lucretium in eis exemplis attinet, in quibus elisionem non adhibuerunt, hoc est notandum: uterque poeta hoc loco nunquam totos circuitus, sed partes solummodo terminavit atque id verbo substantivo et nomine *vis,* uno tantum loco nomine *res.*

1. Ac primum quidem Lucretius sensus finem post primum ordinem inter duas enuntiationes primarias particula *et, aut, neque* coniunctas posuit:

IV 422 stantis equi corpus transversum ferre videtur
vis et in adversum flumen contrudere raptim,

cf. II 467 *est et;* VI 437 *vis et;* VI 569 *res neque.*

2. Deinde sensus intervallum exstat apud Lucretium inter enuntiationes secundarias, quae aut eiusdem generis

et coniunctione *et* coniunctae sunt aut quarum succedens pendet a praecedente. Exempla sunt haec:

Lucr. II 1139

iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
sunt et cum externis succumbunt omnia plagis.

cf. III 619; VI 632.

I 675

nunc igitur quoniam certissima corpora quaedam
sunt, quae conservant naturam semper eandem,

cf. I 539; V 1210. —

Lucilius autem in uno exemplo illius interpungendi rationis enuntiationes ἀσυνδέτως posuit: v. 331

quod deformis senex, arthriticus ac podagrosus
est, quod mancus macerque, exilis, ramice magno.

Sed intervallum inter has enuntiationes parvum esse puto, quia verbum substantivum etiam ad alteram sententiam pertinet.

3. Tum Lucretius hoc loco enuntiationes primarias et secundarias ita distinxit, ut secundaria pendeat a primaria.

Lucr. I 403

verum animo satis haec vestigia parva sagaci
sunt, per quae possis cognoscere cetera tute.

cf. III 271 *vis,...quae;* VI 672 *sunt, ubi.*

I 814 quia
multarum rerum in rebus primordia mixta
sunt, ideo variis variae res rebus aluntur.

cf. V 1281 quo pacto...reperta
sit, facilest...cognoscere.

4. Ἀσυνδέτως posuit Lucretius enuntiationes in hoc exemplo:

VI 269 hic igitur ventis atque ignibus omnia plena
sunt: ideo passim fremitus et fulgura fiunt.

5. Huc referendi sunt illi versus Luciliani 342—344:

Illa poesis opus totum (tota[que] Ilias una
est, una ut θέσις annales Enni) atque opus unum
est, maius multo est quam quod dixi ante poema,

qui valde corrupti a Marxio et supplendo et demendo et mutando non sane probabiliter ita sunt restituti, ut sensus finem post primam arsin praebeant. Vix enim credendum est verbum substantivum *est* in prima arsi collocari posse, si in sexto pede antecedit vocabulum, quod in vocalem desinit (cf. v. 331; Lucr. II 467, VI 632; Lachmann ad Lucr. I 993). Itaque dubitari quam maxime potest, num poeta ipse hoc loco sensum terminare voluerit. —

Ordinem hexametri primum ne cum eis, quae antecederent, ullo modo coniungerent, diligentissime caverunt Cicero et Catullus. Itaque Catullus non primus hanc legem constituit et observavit, ut Schaper in diss. p. 17 contendit, quam iam a Cicerone in carminibus ex Graeco conversis observatam videmus.

Restat ut moneam in omnibus versibus, qui talem sensus incisionem exhibent, praeter Lucilio-Marxianum 343 caesuram semiquinariam subsequi.

§ 2. Haec fere habuimus, quae de sensus finibus post primum hexametri ordinem exponeremus. Iam de distinctione post secundum ordinem facta disputaturis primum statuendum est poetas veteres in hac sede non omnes eodem modo sensus finem admisisse, nisi quod paucis versibus exceptis omnes leviter distinxerunt.

Ennius post primum trochaeum non nisi raro sensum terminasse videtur; atque in eis annalium versibus, qui hoc loco sensus finem exhibent, interpunctionis gradus modusque cognosci non potest, quod quomodo continuati sint non constat.

65 unus erit quem tu tolles in caerula caeli
templa[1])

115 Romulus in caelo cum dis genitalibus aevum
degit

Etiam in his versibus Ennii de distinctione dubitatur:

87 sic exspectabat populus atque ore timebat
rebus utri magni victoria sit data regni.

Nam vulgo interpungitur post rebus (etiam a Vahleno); ante rebus interpunxit Peerlkampius (Verg. II p. 341), quem secutus est Baehrensius (P. R. F. 55, 13).

Etiam apud Lucilium in ista sede sensus finem perraro deprehendimus (cf. 175. 487. 1136).

At Cicero et levi et gravi interpunctione in ternis versibus hoc loco sententias distinxit, paulo saepius in Arateis quam in aliis hexametris sive ab ipso compositis sive ex Graeco conversis.

Lucretius post hunc ordinem saepe et graviter et leviter interpunxit.

Catullus vero hanc distinctionem summo studio vitavit. Nam uno loco excepto eam in carminibus, quae meris hexametris composita sunt, non invenimus.

64, 152 pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
praeda neque iniecta tumulabor mortua terra.

Condiciones autem, quibus poetae veteres sensuum fines post primum trochaeum admiserunt, sunt hae:

I. Exhibent versus hoc loco sensum finitum inter duas enuntiationes primarias.

1. Quas Cicero (Arat. 140. 213), Lucretius, Catullus (64, 153) particulis *et*, *que*, *neque*, *atque* coniungere non omiserunt, veluti

---

[1]) Dignum est quod commemoretur Ovidium hanc vaticinationem ita mutuatum esse, ut partem sententiae in secundum versum prominentem recideret: Met. XIV 814

unus erit quem tu tolles in caerula caeli.

cf. Fast. II 487.

Lucr. I 140 voluptas
suavis amicitiae quemvis efferre laborem
suadet et inducit noctes vigilare serenas,

2. Singularem locum obtinent hi Ciceronis versus, qui quamquam graviore interpunctione inter duas enuntiationes primarias sunt distincti, tamen non carent coniunctione:

Cic. Arat. 256
hunc sura laeva Perseus umeroque sinistro
tangit: at Andromeda hic dextra de parte tenetur.

408 hic tribus elatus cum signis corpore toto
lucet: at exoritur media de parte Corona.

3. Asyndeto autem usus Lucretius post secundum ordinem hexametri sententias in duobus exemplis distinxit:

Lucr. V 333
nunc etiam augesunt, nunc addita navigiis sunt
multa, modo organici peperere sonores,

quo loco interpunctionem satis excusari anaphora puto; nam *modo* anaphoram per *nunc-nunc* incohatam continuat.

VI 1192
-⏑⏑-⏑: item ad supremum denique tempus
compressae nares, nasi primoris acumen
tenve, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis.

Etiam hoc loco poeta interpunctionem non in trita dictione admisit, sed in vivida descriptione signorum pestis et instantis mortis.

Quibus exemplis adiungenda sunt haec:

IV 482
quid maiore fide porro quam sensus haberi
debet? an ab sensu falso ratio orta valebit?

IV 486
an poterunt oculos aures reprehendere, an aures
tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris?

VI 411

et simul in multas partis qui credere possis
mittere? an hoc ausis nunquam contendere factum?

Quibus in versibus poeta interrogationes rhetoricas distinxit.

II. Deinde hoc loco poetae sensus moram interposuerunt inter duas enuntiationes secundarias eiusdem ordinis, quas coniunctionibus *et, que, neque* coniunxerunt, aut inter duas enuntiationes secundarias, quarum altera est inferioris ordinis.

Longe plurima exempla harum sententiarum in Lucretii carmine exstant, pauca apud Lucilium et Ciceronem.

a. Lucr. III 931

denique si vocem rerum natura repente
mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa,

Lucil. 486

ut pueri infantes credunt signa omnia aena
vivere et esse homines, sic isti somnia ficta
vera putant.

b. Lucr. VI 71

–⏑⏑–; non quo violari summa deum vis
posset, ut ex ira poenas petere inbibat acris.

Cic. ex Graecis conv. fr. 22, 2 (B.)

auguris ut nostri Calchantis fata queamus
scire ratosne habeant an vanos pectoris orsus.

Hanc normam non secutus est Lucretius in his interrogationibus obliquis: I 956

pervideamus utrum finitum funditus omne
constet, an immensum pateat vasteque profundum.

III. Tertia interpungendi ratio, qua usi sunt poetae veteres post primum trochaeum, est haec: aut sententiam primariam, quam sequitur secundaria, aut secundariam sequente primaria hac sede terminaverunt. Sed hoc

notandum est hanc rationem poetas non frequenter adhibuisse. Longe maxima pars versuum talem in modum distinctorum exstat apud Lucretium, tria exempla apud Ciceronem (Arat. 72 sq. 209 sq. 236), unum apud Lucilium (175). Haec exscribam:

Cic. Arat. 72.

atque etiam supero navi pelagoque vacato
mense, Sagittipotens Solis cum sustinet orbem,

Lucil. 174

quodsi nulla potest mulier tam corpore duro
esse, tamen tenero maneat . . .

Lucr. I 961. IV 1038. I 499. II 1011. V 347.

IV. Relinquitur ut afferam ea exempla, in quibus post primum trochaeum gravi interpunctione totus circuitus ita clauditur, ut verbo regenti et circuitum finienti initium versus concedatur.

Lucr. IV 110

Nunc age quam tenui natura constet imago
percipe. et imprimis, quoniam primordia tantum

VI 535

Nunc age quae ratio terrai motibus exstet
percipe. et imprimis terram fac ut esse rearis

VI 710

verum aliquid genere esse ex hoc quod contigit ei
scimus. item in multis hoc rebus dicere habemus.

Denique statuendum est numeros, qui interpunctioni post primum trochaeum proxime adiunguntur, caesura semiquinaria incidi. Duo apud Lucretium exstant versus, qui caesuram tertiam trochaicam praebent:

Lucr. V 561

Iamne vides quantum tenuis natura valere
possit, ubist coniuncta gravi cum corpore, ut aër . .

VI 1166
et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
corpus, ut est per membra sacer dum diditur ignis.

§ 3. Iam pergamus quaerere, quomodo poetae veteres post primum pedem sint usi interpunctione. Duo autem genera huius pedis nobis consideranda sunt, cum et dactylo et spondeo constare possit.

Ac primum quidem inquiram in sensus clausulas, si primus pes constat vel e voce dactylica vel e talibus vocibus, quibus dactylus confici potest. Quem post pedem ita factum interpunctio a poetis veteribus creberrime admissa est. Primum dactylum apud veteres poetas et levia et gravia sensus intervalla sequi solent. Qui pes incisione sensus succedente plerumque ex uno verbo interdum elisione ultimae, quae semper brevis est syllaba, decurtato constat.

Longum est omnia exempla sensus post hunc pedem finiti enumerare. Omitto ea, in quibus enuntiationes terminantur, quae aut cum sequentibus coniunctionibus copulativis et disiunctivis conectuntur aut quarum altera ab altera pendet et inferioris ordinis est, denique omnia exempla, quae levem sensus incisionem exhibent.

Affero ea in quibus poetae gravi interpunctione et ad singulas sententias et ad totos circuitus dirimendos liberius quam in praecedentibus hexametri partibus usi sunt. Qua quidem admissa poetae plerumque id spectabant, ne sententiae legitima coniunctione aut gravis distinctio alia excusatione carerent.

I. Poetae has sententias coniunctionibus copulaverunt.

1. Coniunctionibus copulativis ad conectendas sententias usi sunt in his exemplis:

Enn. 10

ova parire solet genus pennis condecoratum
non animam: et postinde venit divinitus pullis
ipsa anima.

Hic poetam vocabula, quae contraria significant, consulto in initio versuum collocasse existimo.

Et particulam novam sententiam inchoantem, quam Baehrensius (P. R. F. fr. 8) interpunctione post secundam arsin statuta delet, retinendam esse censeo. Habes in hoc exemplo interpunctionem gravem etiam elisione obscuratam.

Lucr. IV 955

haec eadem cibus, in venas dum diditur omnis,
efficit. et multo sapor ille gravissimus exstat.

V 257

praeterea pro parte sua, quod cumque alid auget,
redditur: et quoniam dubio procul esse videtur

II 243

quare etiam atque etiam paulum inclinare necessest
corpora; nec plus quam minimum, ne fingere motus

II 467

et levibus sunt aliunde admixta doloris
corpora. nec tamen haec retineri hamata necessumst

V 1444

carminibus cum res gestas coepere poetae
tradere; nec multo prius sunt elementa reperta.

2. Particula adversativa efficit coniunctionem in his exemplis Lucretianis:

II 391

et quamvis subito per colum vina videmus
perfluere: at contra tardum cunctatur olivum.

Hoc loco interpunctio elisione mitigatur.

III 774

et domus aetatis spatio ne fessa vetusto
obruat? at non sunt immortali ulla pericla.

Qui locus praebet interrogationem rhetoricam.

3. Conclusivam particulam ad coniungendas sententias adhibuit Lucretius in his exemplis:

I 337 . id in omni tempore adesset
omnibus: haud igitur quicquam procedere posset,

IV 895
et dispargitur ad partis ita quasque minutas
corporis. hic igitur rebus fit utrimque duabus

4. Coniunctiones causales coniungunt sententias post primum dactylum distinctas in his versibus Lucretianis:

I 485
sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis
stinguere: nam solido vincunt ea corpore demum

cf. II 701. IV 270. VI 768.

VI 572
saepius hanc ob rem minitatur terra ruinas
quam facit: inclinatur enim retroque recellit.

II. Coniunctionem sententiarum, quae post primum dactylum graviter distinctae sunt, pronomine relativo effecit Lucretius in his versibus:

II 104
corpora constituunt et cetera de genere horum
paucula. quae porro magnum per inane vagantur,

ubi male distinguendo Lachmannus effecit, ut poeta saxa et ferrum magnum per inane vagari dicat (cf. Brieger, proleg. p. X).

IV 1095
nil datur in corpus praeter simulacra fruendum
tenvia; quae mentem spes raptat saepe misella.

Huc spectat etiam hoc exemplum: III 667
ergo divisast ea quae fuit una simul cum
corpore; quapropter mortale utrumque putandumst.

III. Pronomine demonstrativo in initio enuntiationis posito, quae sententiam gravi interpunctione post primum dactylum finitam subsequitur, coniunctionem quandam sententiarum effecerunt Cicero et Lucretius in his versibus:

Cic. Arat. 55

ipse autem labens mutis Equus ille tenetur
Piscibus; huic cervix dextra mulcetur Aquari.

187

Arcturo magnum spatium supero dedit orbe
Iuppiter; huic parvum inferiore in parte locavit.

Lucr. III 256

sed plerumque fit in summo quasi corpore finis
motibus: hanc ob rem vitam retinemus valentes.

III 862

ipse quoque esse in eo tum tempore, cui male possit
accidere: id quoniam mors eximit esseque probet . .

VI 145

id quoque, ubi e nubi in nubem vis incidit ardens
fulminis, haec multo si forte umore recepit.

Huc referendum est hoc exemplum Catullianum 64, 107

indomitus turbo contorquens flamine robur
eruit (illa procul radicitus exturbata
prona cadit, † lateque cum eius obvia frangens).

Quibus exemplis ea sunt similia, quorum sententiae in enumeratione quadam in eundem modum distinctae sunt sic:

Cic. Arat. 376

-- tum contra exoritur clarum caput Hydrae
et Lepus et Procyon, qui sese fervidus infert
ante Canem; inde Canis vestigia prima videntur.

Lucr. V 790

sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
sustulit, inde loci mortalia saecla creavit.

cf. Lucil. 104. Cic. Arat. 373, 466. Lucr. I 784, III 248, 250, V 271, VI 1117, 1189.

Haud scio an cum his enumerationibus eodem loco habenda sint haec duo exempla Lucretiana:

III 1082

sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur
cetera: post aliud, cum contigit illud, avemus,

VI 82

multa tamen restant et sunt ornanda politis
versibus: est ratio fulgendi visque tonandi,
sunt tempestates et fulmina clara canenda.

IV. Sequuntur exempla, quorum sententiae post primum pedem dactylicum dissolutionem exhibent.

1. Lucilius et Lucretius dissolutionem admiserunt in versibus, quorum orationem anaphora distinxerunt:

Lucil. 1050

quid dare, quid sumti facere ac praebere potisset

1315

tum spara, tum ramices portantur, tragula porro

Lucr. IV 696

significat quod fracta magis redolere videntur
omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta

V 1196

quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
volnera, quas lacrimas peperere minoribus nostris.

2. Dissolutionem elocutionis nec non offensione carentem, quod eam elisione obscuraverunt, post primum dactylum admiserunt Lucilius et Catullus:

Lucil. 94

‚chaere Tite.' — hinc hostis mi Albucius, hinc inimicus

156

odi hominem, iratus pugno, nec longius quicquam

Cat. 64, 32

––⏑, domum conventu tota frequentat
Thessalia, oppletur laetanti regia coetu.

Hic afferendum est etiam hoc exemplum gravis interpunctionis inter duos circuitus.

Lucr. II 1079

quin aliquoius siet saecli permultaque eodem
sint genere. imprimis animalibus, inclute Memmi,

3. Ut vividam descriptionem hominis morbo comitiali laborantis efficeret, elocutiones dissolute posuit Lucretius ut aliis locis versus ita post primum dactylum in hoc versu: III 490

desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat

4. Nullam autem excusationem asyndeti invenio in his versibus Lucilii et Lucretii:

Lucil. 534 iam quod genus, quantis
testibus. vix uno filo hosce haerere putares

543 nolo
dicere. tute vide atque disyllabon elige quodvis.

1003 non datur. admittit nemo, nec vivere ducunt.

Lucr. VI 1178

nec requies erat ulla mali: defessa iacebant
corpora. mussabat tacito medicina timore.

Sed cum voce dactylica in principio versus posita magni momenti sit, qua caesura numeri talem interpunctionem sequentes incidantur, hanc rem nunc examinare volumus. Vocem dactylicam in initio hexametri collocatam ut caesura semiquinaria sequeretur, poetae diligenter observabant (cf. p. 3). Itaque fit ut in versibus post primum dactylum interpunctis semper fere caesuram semiquinariam, raro semiseptenariam (Lucr. II 959, IV 726) inveniamus.

Sed etiam post tertium trochaeum versus post primum dactylum distinctos incidere non veriti sunt Lucilius, Cicero, Lucretius.

Lucil. 543 · nolo
dicere: tute vide atque disyllabon elige quodvis

Cic. de cons. suo fr. 3, 45 (B.):
quae tum cum pueris flammato fulminis ictu
concidit atque avolsa pedum vestigia liquit.

Lucr. VI 572
saepius hanc ob rem minitatur terra ruinas
quam facit: inclinatur enim retroque recellit,

II 810
et quoniam plagae quoddam genus excipit in se
pupula, cum sentire colorem dicitur album,
atque aliud porro, nigrum cum et cetera sentit,

IV 695
nam penitus fluere atque recedere rebus odores
significat quod fracta magis redolere videntur
omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta.

Lucilius et Cicero quare versus ita composuerint nescio. In quibusdam autem Lucretii exemplis caesura tertia trochaica excusationem habet, quod in eis partes orationis repetuntur.

Hic versum illum Ennianum proferre non omittam:
101 virgines nam sibi quisque domi Romanus habet sas.

De hoc versu dubitari posse video, quem multi incidunt post virgines, alii uno tenore legunt. (De prosodia contra Lachmannum ad Lucr. VI 1067 cf. Skutsch, Γέρας, Göttingen 1903, p. 142.)

Praeterea apud Ennium, Ciceronem, Lucretium invenimus versus, in quibus post primum dactylum sensu inciso tertius trochaeus vocabulis particula *que* coniunctis efficiatur.

Enn. 434 interea fax
occidit oceanumque rubra tractim obruit aethra.
Cic. de cons. suo fr. 3, 39 (B.)
tum species ex aere vetus venerataque Nattae
concidit elapsaeque vetustae momine leges.
Lucr. I 1059
nitier in terraque retro requiescere posta
II 407
sensibus introituque suo perrumpere corpus
619
concava, raucisonoque minantur cornua cantu
V 265
tollitur, in summaque flt ut nil umor abundet
VI 198
nubibus, in caveisque ferarum more minantur
376
fulmina, tempestasque cietur turbida caelo
884
semina, de terraque necessest funditus ipsa

Dubitari potest, utrum in his versibus caesuram tertiam trochaicam an semiquinariam aut interdum semiseptenariam statuamus. Nam dixerit quispiam poetam, postquam in initio dactylicam vocem distinctione succedente posuerit, caesuram post tertium trochaeum minus gravem reddere voluisse ideoque eam particula *que* effecisse. Sed eum a vero abesse existimo. Nam ut notum est caesurae tertiae trochaicae semiternariam et semiseptenariam addi solere, ita ex conformatione complurium horum versuum poetas post tertiam arsin incidere voluisse apparet.

Nonnullis enim versibus supra allatis tantum caesura semiseptenaria subsidiariae loco adest, aliis et semiternaria et semiseptenaria deest. In eis autem exemplis, quorum secunda arsis praepositione constat, semiternaria statui non potest, quod praepositio cum substantivo unum

vocabulum saepe efficere solet (cf. Skutsch, Forsch. z. lat. Grammatik und Metrik I Lpz. 1892 p. 157 sqq; Leo, Bemerkungen über plautin. Wortstellung und Wortgruppen, G. G. N. 1895 p. 417 sqq.).

Deinde quis putet poetas eam ipsam caesuram non nisi particula *que* formatam in versibus talem in modum distinctis adhibuisse quam aliter effectam eadem condicione prorsus paene vitaverunt?

Itaque ex his, quae modo exposui, elucet quam recte Guilelmi Meyeri (l. c. 1884 p. 1045 sq.) se habeat sententia, qui apud dactylicos Romanos *que* encliticum et saepe cum eo verbo cui adiunctum sit coalescere et interdum quasi proprii iuris fieri docuit, et quam falsa sint, quae de eadem re L. Mueller l. c. p. 465 sensit, iam aliis rationibus a Cavallino improbata (cf. Cavallin, De caesuris quarti et quinti trochaeorum hexametri apud Latinos poetas coniunctis, Norrcopiae 1896 p. 45).

§ 4. Deinde si verbo spondaico in primo pede collocato numeri graves et tardi fiunt (cf. Mueller l. c. p. 240), eo magis retardantur, si post talem vocem oratio inciditur. Sed tantum abest, ut poetae hoc loco spondaicas voces vitaverint, ut interdum etiam sensum post eas terminaverint. Itaque quaeritur, num sine ulla dubitatione in hac sede interpunxerint. Quod negandum est. Iam Wagner l. c. quaestione XIII p. 431 demonstravit, si vocabulum spondaicum sententiam versus antecedentis finiat — nam minorem offensionem habet, si non includitur superioris versus sententia — Vergilium his quattuor condicionibus interpunctionem admisisse: primum si vocis hunc spondeum efficientis trisyllabae ultima pars elidatur, deinde si copula, quae nectit sententias, istum spondeum excipiat, tum si copulae loco particula quaedam repetatur, denique si poeta huic voci spondaicae singularem vim attribui voluerit.

Sed cum poetae veteres has leges nondum severe observaverint, quaestionem de interpunctione post primum spondeum sic instituemus, ut quaeramus, quas enuntiationes post primum pedem spondaicum separaverint et quomodo eas distinxerint.

I. Poetae veteres post primum hexametri pedem spondaicum sensus finem admiserunt inter duas sententias primarias in hunc modum:

1. Vocis trisyllabae hunc spondeum efficientis ultimam partem eliserunt et sententiam succedentem a coniunctione copulativa inchoaverunt. Quam distinguendi rationem adhibuerunt Lucilius, Lucretius, Catullus. Distinctione tali condicione admissa abstinuerunt Ennius et Cicero.

Apud Lucilium exstant duo exempla: 407 vim *sternendam et* . ., 1043 *invitum et* . ., unum apud Catullum 64,385 *heroum et* . .; apud Lucretium autem inveniuntur huiusmodi distinctionis exempla decem, quae omnia exscribere longum est (I 126, II 665. 876, IV 459, V 547. 671. 912. 1304, VI 689.838). Sed digna sunt quae afferantur exempla interpunctionis, quae eisdem condicionibus ad separandos circuitus orationis post primum spondeum collocata est. Sunt autem haec:

Lucr. IV 251

praeterea fit uti videamus quam procul absit
res quaeque. et quanto plus aëris ante agitatur

V 939

glandiferas inter curabant corpora quercus
plerumque: et quae nunc hiberno tempore cernis . .

2. Spondeum sensus fine subsequente coniunctione sola exceperunt. Quo modo post primum spondeum sensum inciderunt Lucilius, Cicero, Lucretius:

a. Copulativas coniunctiones exhibent haec exempla: Lucil. 391 *languor, obstrepsitque*. Cic. Arat. 385 *pinnas et*.

Lucr. IV 992 *mittunt et.* cf. VI 174 VI 691; VI 798 *solvunt atque;* I 529 *possunt nec* cf. I 533 III 386, V 934, quae exempla insunt in polysyndetis; porro V 299 quod exemplum praebet figuram anadiploseos.

b. Disiunctiva coniunctione excipitur spondeus subsequente sensus intervallo apud Lucr. III 6 sq.

quid enim contendat hirundo
cycnis, aut quidnam tremulis facere artubus haedi,

quo loco poeta anaphoram adhibuit; porro Lucr. V 765 *corpus vel.*

c. Adversativa coniunctione sententias, quae subsequuntur, enuntiationi post primum spondeum finitae adiunxit solus Cicero in his exemplis: Arat. 30 *stellae, cernuntur vero.* Arat. 53 *gestit; iam vero clinata est.*

d. Coniunctione causali *nam* adhibita idem fecerunt Cicero et Lucretius: Cic. Arat. 444:

fertur. nam verso contingens vertice primum . . .

Lucr. I 393

errat: nam vacuum tum fit quod non fuit ante.

Sed non dubito, quin Lucretius verbum spondaicum in hoc versu consulto primo loco posuerit, ut pravitatem errantium quam gravissime refelleret.

3. Adiungantur sententiae primariae, quae omnino non coniunctae sensus intervallum post primum spondeum praebent. Sententiae hunc in modum distinctae exstant apud Ennium, Lucilium, Lucretium in his versibus:

Enn. 73 pars ludicre saxa
iactant, inter se licitantur.

93 cedunt de caelo ter quatuor corpora sancta
avium, praepetibus sese pulcrisque locis dant.

394 infit: o cives, quae me fortuna ferocis
contudit, indigno bello confecit acerbo

Lucil. 264

rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor (cf. p. 8)

Consulto hoc loco poeta elocutiones cumulare videtur.

499

Praeter quam in pretio: primus semisse, secundus
nummo, tertius iam pluris quam totus medimnus.

464

ad regem legatus Rhodum Ecbatanam ac Babylonem
ibo, cercurum sumam.

Lucr. III 976

numquid ibi horribile apparet, num triste videtur
quicquam, non omni somno securius exstat?

Sed hoc loco Lucretiano interpunctio in figura, quae vocatur ἐπαναφορά excusationem habet (cf. quae de hoc loco Heinzius disseruit ad Lucr. III 976 sq.).

VI 511

copia nimborum turba maiore coacta
urget, de supero premit ac facit effluere imbris.

4. Denique ei sunt afferendi versus, in quibus post primum spondeum poetae elisione non facta sententias interpunxerunt, quae non eiusdem orationis circuitus sunt.

Cic. Arat. 375

sed laevum genus atque inlustrem linquit in alto
plantam. tum contra exoritur clarum caput Hydrae.

Lucil. 457

naumachiam licet haec, inquam, alveolumque putare et
calces. delectes te, hilo non rectius vivas.

Lucr. I 422

corpus enim per se communis dedicat esse
sensus; cui nisi prima fides fundata valebit,

IV 152

nam neque uti vestem possunt transire neque autem
scindi; quam meminit levor praestare salutem.

In his exemplis cum Lucilius et Cicero enuntiationes cum asyndeto posuerint, Lucretius dissolutionem ita evitavit, ut pronomen relativum in primo subsequentis enuntiationis loco posuerit.

II. Deinde inter duas enuntiationes secundarias poetae veteres post primum spondeum in hunc modum sensum inciderunt.

1. Sententias secundarias einsdem ordinis hoc loco non distinxerunt, nisi forte coniunctione copulativa spondeum excipiebant. Cuius distinguendi rationis plurima exstant exempla apud Lucretium, duo apud Lucilium (490, 989), unum apud Ciceronem. Vox spondeum primum efficiens trisyllaba elisa aut disyllaba esse potest.

Exempli causa exscribo hos versus: Cic. de cons. s. fr. 3,13 (B.)

cum tumulos Albano in monte nivalis
lustrasti et laeto mactasti lacte Latinas

Lucil. 490 dum miles Hibera
terrast ac meret hic ter sex aetati quasi annos.

Lucretii versus sunt: I 201. 849; II 10. 198; III 211. 951; IV 171 (VI 252). 1148. 1200; V 286. 823. 1167; I 155. 279. 308. 644; II 631; III 264. 1020; V 477.

2. Sententias secundarias, quarum subsequens est inferior praecedente, Lucretius solus post primum spondeum levissime distinxit. Exempla sunt haec:

Lucr. I 370
illud in his rebus ne te deducere vero
possit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor.

I 373 quia
linquant, quo possint cedentes confluere undae,

I 521 –⏑⏑ –⏑⏑– nisi contra corpora certa
522 essent, quae . .

III 863 esseque probet
illum cui . .

III 1074 in quo sit mortalibus omnis
aetas, post mortem quae
II 656 si quis . . abuti
mavolt . . . quam proferre.

III. Tum finem sententiae primariae, ex qua pendet secundaria, omnes poetae veteres praeter Catullum post primum spondeum admiserunt. Lucretius autem solus vocem trisyllabam spondeum efficientem interdum elisione decurtavit. Longe maxima pars enuntiationum pendentium sunt relativae, veluti Lucr. III 1000

hoc est adverso nixantem trudere monte
saxum, quod tamen e summo iam vertice rusum
volvitur.

cf. Enn. 147. Cic. Arat. 3. 12. 184. 223. Lucr. I 662. 829. II 540. 583. IV 369. 512. V 757. VI 298. 953.

Ceterae enuntiationes pendent e coniunctionibus, quae sunt *si* (Enn. 429), *dum* (Lucil. 157. Lucr. V 700), *cum* (Lucil. 1015. Lucr. IV 473), *ut* (Lucr. IV 717. I 1048. II 698).

Interrogationem obliquam invenimus apud Lucretium III 868 *differre an fuerit.*

IV. Denique poetae veteres post primum spondeum orationem subsistentem fecerunt in fine enuntiationis secundariae succedente vel circumdante primaria. Sed tali condicione nisi raro enuntiationes non distinxerunt.

Exempla huius sensus incisionis, quae apud singulos poetas exstant, sunt haec:

Enn 202

Quo vobis mentes, rectae quae stare solebant
antehac, dementes sese flexere viai

Consulto poeta hic sententias sic separavit, quod voces *mentes dementes* inter se cohaerentes artis rhetoricae causa eodem loco versuum ante caesuram principalem posuit.

Similia praebent Lucil. 69. Lucr. I 357.

In versu Lucretiano IV 321: quas ante obsederat aër
ater, continuo rerum simulacra secuntur

quamquam uterque codex (O. Q.) primi pedis vocabulum sine dubio propter similitudinem vocum *aër* et *ater* omisit, recte hanc lacunam ex versu 314 explevisse puto Bernaysium et Munronem, quos sequitur Brieger. Lachmannus sic hos versus suppleverat:

obsederat ater,
aëra continuo . .

qua re pausam post primum spondeum vitavit. Sed haec mea quidem sententia non offendit, quia non est inusitata.

Enn. 341

si forte feras ea nare sagaci
sensit, voce sua nictit ulutatque ibi acute

Lucr. IV, 84

ergo lintea de summo cum corpore fucum
mittunt, effigias quoque debent mittere tenvis

VI 135

scilicet ut crebram silvam cum flamina cauri
perflant, dant sonitum frondes ramiqua fragorem.

Fortasse in hoc exemplo ad interpunctionem excusandam figura, quae vocatur παρονομασία, pertinet, quam poeta ornatus sermonis gratia hoc loco adhibuit.

Quod attinet ad caesuram in his versibus, omnibus fere adest semiquinaria. Interdum reperitur semiseptenaria (Cic. Arat. 376, Lucr. I 522. III 1001) et tertia trochaica (Lucil 1015. Lucr. I 422).

2.

Distinctione primi pedis tractata ad s e c u n d i considerandam aggrediar.

§ 1. Post secundam arsin veteres poetae et leviter et graviter sententias distinxerunt. Nil miri habet levis distinctio sensus, sed hoc imprimis notandum est omnes poetas veteres saepius quam in partibus versus praecedentibus hoc loco asyndeto usos esse et persaepe totos circuitus ibi terminasse. Saepe evenit, ut sensus a principio versus incipiens hoc loco finiatur. Exempla afferre supersedeo; velim autem conferas hos Catulli versus, qui post hanc demum arsin gravem interpunctionem admisit: c. 62, 1. 8. c. 64, 137. 140. 288. Versibus qui hoc loco interpunctionem exhibent, caesura aut semiquinaria aut semiseptenaria aut tertia trochaica adesse solet.

§ 2. At longe aliter res se habet in distinctione post trochaeum eiusdem pedis collocanda, ubi graviter frequenterque sensum incidere poetae vitaverunt (cf. Mueller l. c. p. 273), quam legem etiam in Graecorum hexametro valere docuerunt Gerhardus l. c. p. 207, Hoffmannus l. c. § 30, Hartelius l. c. p. 95.

Itaque post trochaeum secundum poetae veteres in hunc modum sententias distinxerunt:

I. Enuntiationes primarias plerumque coniunctionibus copulativis *et*, *que*, *neque* nexuerunt.

1. Lucil. 353

hoc faciemus et uno eodemque, ut dicimus, pacto
scribemus.

1201

luna alit ostrea et implet echinos, muribus fibras
et iecur addit.

cf. Cic. Arat. 182. 443. Progn. fr. VI 3 (B); Lucr. I 289. 348. 732. 928 (IV 3). II 262. 1051. III 491. 524. IV 392. 456. 685. 1022. V 1422. VI 670.

2. *Vero* coniunctione adversativa nexuit sententias Lucretius hoc loco: IV 1141

atque in amore mala haec proprio summeque secundo
inveniuntur: in adverso vero atque inopi sunt.

3. Idem adverbio *porro* significavit orationem ad novam sententiam progredientem et voce *vapor* repetita coniunctionem quandam enuntiationum effecit hoc loco: III 232

tenuis enim quaedam moribundos deserit aura
mixta vapore, vapor porro trahit aëra secum.

4. Asyndeton hoc loco admissum invenimus apud Lucilium et Lucretium in his ellipsibus:

Lucil. 319

hinc ancilia, ab hoc apices capidasque repertas,

ubi poeta pausam elisione mitigavit.

Lucr. IV 654

multa rotunda, modis multis multangula quaedam

VI 1194 frigida pellis
duraque in ore, patens rictum, frons tenta tumebat.

Sed incertum est, num recte in hoc versu post secundum trochaeum sensus incisionem statuerit Brieger. Codices enim praebent: *in horretacet* O., *in oretacet* Q., *rectum* O. Q., unde Janus Rutgersius sic emendavit: *inhorrescens rictum,* quam emendationem receperunt Lachmannus et Bernaysius. At Munro sic restituit textum: *in ore truci rictum.* Itaque hi editores asyndeton post secundum trochaeum vitaverunt et post primum trochaeum asyndeton elisione obscuratum admiserunt. quam rationem magis esse probandam puto.

Porro asyndeton invenitur in hoc versu Lucretiano: V 201

inde aliquam partem montes silvaeque ferarum
possedere, tenent rupes vastaeque paludes.

Parataxin autem hic versus Lucilianus praebet: 1340

vis est vita, vides: vis nos facere omnia cogit.

5. Sensus autem intervalla, quibus post secundum trochaeum separantur sententiae, quae non eiusdem circuitus sunt, apud Ennium, Ciceronem, Lucretium exstant. Quorum exempla sunt haec:

Enn. 59

haec effatus; ibique latrones dicta facessunt.

Quam sermonis conformationem, quamquam eodem modo atque in v. 47 corrupte traditur, tamen ut eam ascripsi ex Vergilii oratione similiter conformata, imprimis ex Aen. l. VIII v. 520 (cf. V 653, X 256), ubi Vergilius Ennium secutus est, recte restitutam esse potest colligi (cf. Norden l. c. ad v. 190 et app. I 3). Hanc dicendi formulam ab Ennio e Graecorum carminibus promptam (cf. Norden l. c. ad v. 46) et similes complures poetae dactylici in initio versus ponere adamabant (cf. Hilberg l. c. p. 245).

Cic. Arat. 220

extremam nitens plumato corpore Corvus
rostro tundit; et hic Geminis est ille sub ipsis
Antecanem.

Lucr. IV 145

semper enim summum quidquid de rebus abundat,
quod iaculentur. et hoc certas cum pervenit in res,

VI 936

nunc omnis repetam quam raro corpore sint res
commemorare; quod in primo quoque carmine claret.

Sed vides poetas sententias legitime conectere non neglexisse.

Carent coniunctione in his versibus sententiae:

Lucr. II 1037

nil, ut opinor: ita haec species miranda fuisset.

cf. V 39.

III 241

quarta quoque his igitur quaedam natura necessest
adtribuatur: east omnino nominis expers

Enn. 75

occiduntur. ubi potitur ratus Romulus praedam.

II. Secundarias sententias eiusdem ordinis post trochaeum secundum Lucretius solus distinxit easque coniunctionibus *et*, *que*, *neque* conectere nullo loco neglexit, **veluti**:

Lucr. III 121 -⏑⏑--- cum corpora pauca caloris
diffugere forasque per os est editus aër

cf. II 332. 556. III 125. 299. 496. 497. 500. IV 206. 325. 945. 1193. 1235. V 193. 1162. VI 89. 496.

Uno tantum loco coniunctione *at* sententias secundarias coniunxit, sed pausam elisione obscuravit in hoc versu:

II 74 (quia)
illa senescere, at haec contra florescere cogunt.

III. Nunc agam de distinctione, quam admiserunt poetae veteres post secundum trochaeum ad dirimendas sententias diversi ordinis. Multo rarius in hac sede eiusmodi sententias separaverunt quam sententias eiusdem ordinis.

1. Sententia primaria praecedente et secundaria sequente distinctio in his versibus invenitur: Lucil. 100 degrumabis, uti — Lucr. I 158 perspiciemus et unde queat — 956 pervideamus utrum finitum — VI 685 ventus enim fit, ubist — II 156 officiuntur, uti — 658 concedamus, ut — VI 1243 atque labore, pudor quem — II 1050 nullast finis, uti docui — I 61 corpora prima, quod — I 1056 summa atque ima, quod. —

Catullus 64, 29
tene suam Tethys concessit ducere neptem
Oceanusque, mari totum qui amplectitur orbem?

Secundo versu voces ita conglutinatas esse puto, ut paene unam sententiam efficiant.

2. Raro exstat sensus incisio post secundum trochaeum, si antecedit sententia secundaria hic finita. Exempla inveniuntur apud Lucretium et Catullum:

Lucr. VI 215

nam cum ventus eas leviter diducit euntes
dissolvitque, cadant ingratis illa necessest.

cf. II 741. IV 502. IV 1079. 795. — Cat. 64, 32.

Alia est quaestio quomodo partes versus talem distinctionem subsequentes divisae sint. Nam trochaico vocabulo secundum hexametri locum tenente poetae caverunt, ne etiam in tertia sede vocem trochaicam ponerent (cf. Mueller l. c. p. 214). Itaque ei versus sensu post secundum trochaeum terminato optime se habent, quos poeta semiseptenaria incidit (cf. Gerhard l. c. p. 208), quod sensus et rhythmi incisiones longe altera ab altera distent. Quales versus exstant apud Ciceronem hi:

Arat. 181

atque priora pedum subeunt vestigia magni
Arcitenentis et obscurae sine nomine cedunt.

Progn. fr. VI (B.)

saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
et matutinis acredula vocibus instat,
vocibus instat et assiduas iacit ore querellas,

ubi sensus insterstitium etiam figura, quae vocatur anadiplosis, excusatur (cf. Lucr. V 298 sqq.); vide Norden l. c. ad v. 164.

Similiter Lucretius complures versus composuit, veluti: I 348

in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis.

cf. I 732; II 556. 1051; III 496. 524; IV 205. 392. 945. 1142; V 1162; VI 670. 811.

Deinde hoc est notandum Lucilium Ciceronem Lucretium cum sensu post trochaeum secundi pedis finito in tertia arsi praepositionem monosyllabam subsistere paterentur, versum post quartam arsin incidere non omisisse (cf. Lucr. I 1056; II 475. 1011; III 125.

289 etc.) excepto hoc versu Lucretiano concitata oratione insigni:

Lucr. III 490 anhelat
inconstanter et in iactando membra fatigat.

Hanc normam Lucretius — nam aliorum non exstant exempla praeter unum Ciceronis (Arat. 221), in quo hanc legem secutus est — non semper servavit, si tertiam arsin alio monosyllabo ac praepositione effecit. Neque poetae hanc sibi legem imposuerunt, ut versum semiseptenaria inciderent, si semiquinariam verbo iambico effecerant.[1])

Sed non desunt versus qui sensu post trochaeum alterum inciso caesura tertia trochaica sunt distincti, quales inveniuntur apud Lucilium et Lucretium:

Lucil. 1201
luna alit ostrea et implet echinos, muribus fibras
et iecur addit.

Sensus post alterum trochaeum succedente tertio finitus hoc loco non multum offensionis habet, quod et trochaeus et sensus interstitium elisione mitigatur.

Lucr. III 495
exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
adficiuntur, et omnino quod semina vocis
eiciuntur et ore foras glomerata feruntur.

Consilio hic sensus finem posuisse poetam quis est qui neget? Neque enim quisquam a poeta tali metri ratione observata ὁμοιοτελεύτου causa sensum incisum esse infitiabitur.

Lucr. I 157
---tum quod sequimur iam rectius inde
158 perspiciemus, et unde queat res quaeque creari
155 et quo quaeque modo fiant opera sine divom.

[1]) cf. H. Klapp, Bemerkungen über die Hephthemimeres des lateinischen Hexameters, Progr. Posen 1868 p. 5 sqq.

Versui 158 caesuram semiseptenariam inesse credo, quod *unde queat* unius quodammodo verbi instar est.

Iam vero eos versus, in quibus tertius trochaeus particula *que* vocabulis addita efficitur, adiungam, ut et his, quod iam supra contendi (cf. p. 25 sq.), caesuram tertiam trochaicam non semper *que* enclitico vocabulo adiuncto effici demonstrem.

Enn. 59

haec effatus; ibique latrones dicta facessunt

Lucr. I 288

dat sonitu magno stragem volvitque sub undis
grandia saxa, ruitque ita quidquid fluctibus obstat.

I 927 — iuvat integros accedere fontis
atque haurire iuvatque novos decerpere flores

III 121

atque eadem rursum, cum corpora pauca caloris
diffugere forasque per os est editus aër.

His igitur versibus caesuram tertiam trochaica omnino adesse nego. Quam sententiam eo confirmari puto, quod poetae et metri causa et ad dissolutionem sententiarum tollendam *que* particulam cum vocabulis coniunxerunt. An quisquam caesuram tam debilem, quae in versu I 289 paene nulla est, sermoni tanta vi praedito quanta est in versibus I 288 sq. I 927 sq. sufficere putat?

§ 3. Proximum est, ut de interpunctione post quartum hexametri semipedem agam, quam Graeci poetae nisi caesura legitima in quarto pede posita non admiserunt (cf. Gerhard l. c. p. 212). At apud Latinos iam veteres poetae in hac sede sententias incidere non vitaverunt, quamquam apparet hanc incisionem, quae per se parum elegans est (cf. G. Hermann, elem. doctr. m. p. 340), accedente interpunctione nimis eminere. Quatenus singuli poetae hac sint licentia usi, nunc demonstrabo.

I. Primum post secundum pedem omnes poetae veteres sensus finem sic admiserunt, ut ibi sententias primarias vel secundarias terminarent.

1. Quibus eiusdem ordinis sententias particulae copulativae ope adnexuerunt, veluti

Enn. 189

fraxinus frangitur atque abies consternitur alta.

Similes sunt hi loci: Enn. 376. 240. 230. Lucil. 8. 49. 153. 334. 508. 509. 549. 1036. 1072. 1181. 1323. Cic. Arat. 11. 473. 259. Progn. fr. 6. fr. 22, 28. Marius fr. 19, 7. Catullus 62, 58.

Exempla autem afferre ex Lucretii carmine, quippe quorum exstet permagnus numerus, supersedeo.

2. Sententiae, quibus subsequens enuntiatio coniunctione, quae copulativum sensum non habet, adnectitur, illo loco finitae nisi apud Lucilium et Lucretium in carminibus poetarum veterum non inveniuntur.

a. Coniunctione disiunctiva *aut* Lucretius est usus in his exemplis:

Lucr. VI 1126

aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas

I 228

redducit Venus aut redductum daedala tellus

VI 1186

creber spiritus aut ingens raroque coortus.

b. Adversativa coniunctione rationem, quae inter sententias post quartum semipedem distinctas intercedit, Lucilius et Lucretius his locis notaverunt:

Lucil. 1186

haec inbubinat, at contra te inbulbitat ille

1217 intro nos vocat, at sese tenet intus[1])

[1]) Aliter hunc versum Dousae interpretatione comprobata scribi vult Fr. Leo, Gött. gel. Anz. 1906 p. 858:

intro nos vocat ad sese, tenet intus <apud se>.

Sed nil interpretationi Marxianae obstare puto.

Lucr. II 1086
non esse unica, sed numero magis innumerali.

c. Duobus in versibus post secundum pedem Lucilius separat quaestiones disiunctivas:

214 possisne elabi, an porro prodenda dies sit
474 idne aegre est magis an quod pane et viscere privo?

3. Asyndeton vero hoc loco admiserunt Ennius, Lucilius, Lucretius in his versibus

Enn. 42 neque posse
43 corde capessere: semita nulla viam stabilibat

Hunc versum poeta tantum post quartum trochaeum eo consilio incidit, ut infirmum gradum Iliae depingeret (cf. Skutsch in Paulyi et Wissowae encycl. real. I p. 2624; vide etiam Muellerum l. c. p. 218 et Meyerum l. c. 1884 p. 1052).

Lucil. 9
o curas hominum, o quantum est in rebus inane
64 tum facta omnia, sum circumlatus
93 chaere, inquam, Tite; lictores, turma omnis chorusque: 'chaere Tite'.
294 muginamur, molimur, subducimur

Fortasse hoc loco spondeis et asyndeto exprimitur senum moratorum cessatio (cf. Marx ad h. v.; Leo, Gött. gel. Anz. p. 848).

352 aa primum longa, a brevis syllaba.
419 et formosus homo fuit et famosus, utrumque
primo adulescens, posterius dare rectius sese
471 quem metuas saepe, interdum quem utare libenter
1248 permixi lectum, imposui pede pellibus labes
1336 hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum,
1337 commoda praeterea patriai prima putare,
deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

Lucr. I 939

ut puerorum aetas improvida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem (cf. IV 15).

Vides autem omnes fere hos verbus, quorum oratio post pedem secundum ita distinguitur, exhibere caesuram legitimam hepthemimerem.

II. Sententias autem, quarum altera pendet ab altera, praeter Catullum omnes poetae veteres hoc loco distinguere non dubitaverunt. Interdum evenit, ut poetae sententiam inferioris ordinis, quae hac sede terminatur, inter enuntiatum superioris ordinis interponant. Exempla afferre supersedeo.

III. Gravi autem interpunctione post secundum pedem sententias vel totos ambitus finire poetae veteres evitaverunt. Hoc unum exemplum, quod exstat in Lucretii carmine, nullam dubitationem habet.

Lucr. V 284

nam primum quicquid fulgoris disperit ei,
quocumque accidit. id licet hinc cognoscere possis..

Cui addere potes id quod sequitur, quamqam monendum est pronomen relativum a codicibus omissum a Lachmanno demum insertum et ordinem versuum sequentium mutatum esse.

IV 860

quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
861 multa modis multis docui, sed plurima debent
862 ex animalibus; *quae* quia sunt exercita motu,
864 multa per os exhalantur, cum languida anhelant
863 multaque per sudorem ex alta pressa feruntur.

Quae cum ita sint, distinguendi rationem, qua usus est Lachmannus, quem secutus est Heinzius, non probo in his versibus:

Lucr. III 74

consimili ratione ab eodem saepe timore
macerat invidia. ante oculos illum esse potentem,
illum aspectari, claro qui incedit honore,
ipsi se in tenebris volvi caenoque queruntur.

Quamquam in his interpunctio elisione mitigatur, cum Briegero facio, qui sententias aliter pendentes facit et sic distinguit:

macerat invidia ante oculos illum esse potentem
illum aspectari, claro qui incedit honore;
ipsi se in tenebris volvi caenoque queruntur.

Nam ex usu interpungendi post quartum semipedem apparere puto infinitivis ea contineri, quibus invident homines timore mortis vexati, neque vero ea, quae queruntur.

In versibus Lucretianis III 588 et IV 1144 nisi leviter non interpungendum esse puto, quod subsequentes enuntiationes cum praecedentibus unius ambitus sunt.

Quod attinet ad rationes metricas secundi pedis in eis versibus, qui post hunc pedem distinguuntur, hoc fere est notandum.

Post vocem dactylicam vel talem in modum exeuntem omnes poetae veteres sensum terminare non dubitaverunt praeter Catullum, etsi in hac sede dactylicum vocabulum ponere non vitavit (cf. Baumann, de arte metrica Catulli, Progr. d. Gymn. u. d. Realschule zu Landsberg a. W. 1881 p. 15).

Neque tamen aequali modo poetae veteres post secundum pedem, qui e voce spondaica vel talem in modum cadente constat, sensus finem admiserunt, quamquam omnes praeter Catullum hunc pedem spondaica voce vel in spondeum exeunte efficere non dubitaverunt (cf. Mueller l. c. p. 249. Baumann l. c. p. 15). Nam secundo pede sic formato nemo praeter Lucilium post quartum semipedem

orationem subsistere passus est. Conferas exempla, quae supra attuli (p. 41), v.v. 294. 420. 1338.

Sed hos versus, quos poeta stans pede in uno (Hor. s. I 4,10) composuit, Graeco more semiseptenaria divisos esse iam supra commemoravi.

Quae cum ita sint, interpunctionem post secundum pedem versus Lucretiani III 57

eliciuntur. deripitur persona, manet res,

quam Brieger statuit, non solum propterea, quod Lucretius uno versu excepto (III 527) nunquam in secundo pede spondeum admisit sive spondeo sive dactylo praecedentibus, nisi vox monosyllaba subsequitur (cf. Munro, introduct. p. 13), sed etiam ideo, quod hic poeta nunquam post secundum pedem sensum distinxit, qui spondaico vocabulo efficitur, improbandam et versum ita restituendum esse censeo, ut Lachmannus proposuit:

eiciuntur, et eripitur persona, manet res.[1])

Si secundus pes e vocibus, quae ultima syllaba elisa dactylum vel spondeum efficiunt, constat, ei sensus finem subicere adamaverunt Lucilius et Lucretius. Rarissime hac condicione post secundum pedem sensum terminavit Cicero; nullum sensus finis exemplum ista ratione observata exstat apud Ennium et Catullum.

Sensus finem post quartum semipedem, si ab arsi distractus vel una vel duabus syllabis ita efficitur, ut vox aut cum pede terminetur aut cum tertia arsi elisione coeat, non

[1]) Liceat hic pauca adicere de hoc exemplo Enniano:

239 cui res audacter magnas parvaspue iocumque
240 eloqueretur et cuncta malaque et bona dictu
241 evomeret (sic fere codices Gellii XII 4).

In versu 240 offendunt et quarti et septimi semipedis syllabae productae et sensus post verbum in spondeum cadens ante tertiam arsin incisus. Itaque Vahleno et aliis viris doctis assentiri non dubito, qui in his versibus peccatum esse suspicati ne gravioribus quidem remediis abstinuerunt.

pari modo admissum reperimus. Lucilius et Lucretius elisione non facta post secundum pedem sensus finem admiserunt et voce pyrrhichiaca et monosyllabo producto in hac sede repositis. Sed rarissime et levissime sententias separaverunt, si quartus semipes longo monosyllabo constat, quamquam species hexametri ita compositi omnibus temporibus probata erat; cf. Lucil. 1297. Lucr. I 678. VI 328. 818. Fugiebant igitur interpunctionem illa metri ratione obtinente, quod rhythmus dissolvitur, si verbum cum pede finito congruit atque id eo magis, si pes spondaicam mensuram praebet. Quae dissolutio rhythmi tum maxime sentitur, cum versus inciditur caesura semiquinaria.

Ennius, Accius, Cicero, Catullus sensum post secundum pedem, qui duabus partibus constat. non terminaverunt, nisi voce pyrrhichiaca in thesi posita.

In versu Catulli 62, 8, qui est:

Sic certest: viden ut perniciter exiluere

post *viden* vix interpungendum esse puto, quod *viden* formulam apud Catullum non enuntiati interrogativi munere fungi, sed imperativi vel adverbii significationem usurpare cum O. Wolffio (in dissertatione: de enuntiatis interrogativis apud Cat. Tib. Prop., Halis 1883 p. 40) iudico.

Denique versus, in quibus sensus post quartum semipedem ita finitur, ut vocabulorum hunc efficientium ultima syllaba elidatur, nisi apud Lucilium et Lucretium non exstant. Monere hic licet vocalem syllabae cum insequenti colliquescentis brevem esse solere, raro hanc syllabam in *m* consonam exire, uno tantum loco dipthongo effici (Lucr. I 1045).

3.

In tertio hexametri pede poetae Latini rhythmum duplici modo incidere solebant aut caesura semiquinaria

aut caesura tertia trochaica. Quae incisiones aptissimae erant, in quibus etiam sensus finis collocaretur.

§ 1. Itaque post tertiam arsin omnes poetae veteres et levem et gravem sensus incisionem admiserunt. Saepe totos circuitus ibi terminaverunt.

§ 2. Quod attinet ad sententias in caesura tertia trochaica finitas primum monendum est hanc caesuram in hexametris Latinis non eandem dignitatem obtinere atque semiquinariam. Sed veteres poetae dactylici ut eam frequenter adhibuerunt, ita in ea sententias terminare idque etiam gravi distinctione non dubitaverunt (cf. Meyer l. c. 1889 II p. 233), quamquam alibi media in thesi grave sensus intervallum collocare evitaverunt.

Omnia genera enuntiationum, quae in hac caesura finiuntur, affere supersedeo, sed eos versus praetermittere nolo, qui in hac sede gravius sensus intervallum praebent. Hi sunt:

Enn. 166. 198. 386. Lucil. 66. 154. 495. 1197. Cic. Ar. 372. Lucr. I 954. II 867. IV 510. 697. V 1188. Cat. 62, 9. 13. 16. — 64, 146. 148. 195.

Ad hos versus primum notandum est Catullum in compluribus versibus post tertium trochaeum sententias vel dissolutione admissa graviter separavisse; nam in pedibus praecedentibus et sequentibus ne theseos partes sensus incisione dividerentur, sedulo curavit (cf. p. 14. p. 36 sq., p. 55, p. 63.).

Deinde Lucretium, quamquam si numerum versuum respicis saepius quam alii poetae veteres post tertium trochaeum (sexagies circiter quinquies) sensum terminavit, tamen paucis locis gravem interpunctionem admisisse videmus.

Itaque iam Lucretii temporibus auctoritas caesurae tertiae trochaicae ambigua fuisse videtur.

In versibus Lucretianis III 376 sq.

tum numero quoque concedunt et rara per artus
dissita sunt dumtaxat ut hoc promittere possis

Lachmannus post *dumtaxat* sensus incisionem collocavit, at Heinzius grammaticis causis commotus (cf. quae huic versui ascripsit) interpunctionem ante *dumtaxat* praetulit, quam mutationem, ne Lucretiano interpungendi usui post tertium trochaeum repugnetur, probare non dubito.

Restat ut considerem eos versus, in quibus sensus incisioni post tertium trochaeum vocabuli finis post tertiam arsin antecedit. Docuit enim L. Mueller (l. c. p. 273) poetas sensum post tertium trochaeum finire vitasse, si versui adest caesura semiquinaria. At exstant apud Lucilium et Lucretium versus, qui caesura semiquinaria incisi esse videntur. Exempla sunt haec:

Lucr. IV 916

principio somnus fit, ubist distracta per artus
vis animae partimque foras eiecta recessit

VI 517

sed vemens imber fit, ubi vementer utraque
nubila vi cumulata premuntur et impete venti.

In his versibus propter vocem encliticam *fit* caesura legitima tertia trochaica statui potest, praesertim cum ei semiternaria et semiseptenaria additae sint. Sed hos versus etiam semiseptenaria legitime incidi posse non nego.

At versum Lucilianum:

154 verum illud credo fore: in os prius accipiam ipse

propter vim encliticam vocis *fore* et incisionem trochaicam tertii pedis elisione obscuratam nisi semiseptenaria, cui subvenit semiternaria, legitime incidi non posse puto.

Difficile autem diiudicari potest, quae caesura versus legitima sit in hoc versu Lucretiano: III 942

rursum quod pereat male et ingratum occidet omne; nam adverbium *male* eodem modo atque voces *fit* et *fore* versuum, quos modo attuli, in verbum praecedens inclinat.

§ 3. In hexametris Graecis paene nullum exstat exemplum, quod post tertium pedem sensum finitum praebeat (cf. Gerhard l. c. p. 208; Hartel l. c. p. 25; Hoffmann l. c. § 31; Norden l. c. App. II 4 p. 378, adn. 1).

At saepe post hunc pedem distinxerunt poetae Romani. Quorum de interpungendi usu in hac sede sic agam, ut considerem primum eos versus, qui semiquinaria sunt incisi. Qua caesura obtinente sensus clausulam post sextum semipedem admiserunt Ennius, Lucilius, Lucretius. Sed plerumque caverunt, ne graviore sensus intervallo rhythmum dissolverent. Sed quod ad leviorem sensus incisionem in hac sede attinet, dactylicos Romanos eam his quattuor condicionibus admisisse L. Mueller (cf. p. 273) docuit: primum si sextus semipes cum sequentibus coeat elisione, deinde si post finem versus item inciso sensu aequabilitas efficiatur partium, tum si pyrrhichius tertius etiam ad sequentia pertineat, denique si imitatione magnorum exemplorum repetantur vel errores.

Sed cave credas hanc rem a viro illo doctissimo vere diiudicatam esse. Magis enim oculis quam ratione iudicasse videtur. Ac iam apud eos dė quibus agitur poetas multa exstant exempla, quae ad illas sententias revocari non possunt. Quonam referendus est exempli gratia hic versus Lucretianus:

VI 747 Is locus est Cumas apud, acri sulpure montes
oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti

aut Lucilianus 82. 179, aut Lucretianus III 489. 748. VI 879?

Itaque poetarum veterum in hac sede distinguendi usus alio modo quam a Muellero factum nobis explorandus est.

I. Primum consideremus eos versus, quorum tertius pes constat e dactylo.

1. a. Quod attinet ad sententias eiusdem ordinis sive primarias sive secundarias, quae in hac sede separantur, hoc est statuendum Lucilium et Lucretium id egisse, ut eas coniunctionibus conecterent. Sed ad has sententias coniungendas in omnibus exemplis nisi coniunctionibus copulativis *que, at, atque, ac* usi non sunt. Saepe vocem, qua efficitur tertius pyrrhichius, cum sequenti voce elisione colliquescentem fecerunt.

Ad hanc rem demonstrandam haec exempla ascribere satis esse puto:

Lucil. 424

iudex heredem facit, et damnati alii omnes,

cf. Lucil. 305. 530. 1294. Lucr. III 192. 400. 953. 954. 1066. IV 334. 873. 966. 1069. 1117. V 598. 680. 698. 1035. 1413. VI 122. 512.

Lucr. VI 191

aut ubi per magnos montis cumulata videbis
insuper esse aliis alia atque urgere superne.

cf. Lucil. 1050. 1297. Lucr. (II 953) II 1111. III 748. IV 65. 314 (619). V 1249.

In versu Luciliano 82:

non dico: 'vincat licet, et vagus exulet, erret
exlex'

Marxius poetam coniunctioni *et* vim adversativam tribuisse dicit. Sed id non verisimile esse puto, quod non exstat exemplum apud veteres poetas, in quo sensus mora in fine tertii pedis collocata subsequens enuntiatio a con-

iunctione adversativa incipiat. Hunc versum potius aliter interpretandum esse censeo. Etiam Fr. Leo nuperrime Marxii interpretationem reiciens hanc lectionem proposuit:

non dico 'vincat licet': et vagus exul et erret
exlex,

quam probabilem esse puto. (cf. Gött. gel. Anz. 1906 p. 844).

Hoc loco tractandus est etiam hic versus Lucretianus: III 1068

hoc se quisque modo fugitat, quem scilicet ut fit
effugere haud potis est.

Nam codices hanc lectionem praebent: *fugit at quem...*, quam Lachmannus sic correxit: *fugit: at quom.* Madvigius autem hac coniectura reiecta, quod in pravam temporis significationem pro causae Lachmannus incidisset, sic litteras coniunxit: *fugitat, quem...*; qui quam recte hunc locum gravi interpunctione post sextum semipedem vitata emendaverit, ex eis intellegitur, quae modo exposuimus de condicionibus, quibus Lucretius in hac sede sensus intervalla alioquin admisit (cf. Madvig, Adversaria critica, Hauniae 1873, II p. 24).

b) Versus autem, qui post tertium dactylum dissolutionem sententiarum exhibent, inveniuntur apud Ennium, Lucilium, Lucretium.

Apud Ennium omnino haec duo exempla sensus post tertium pedem distincti exstant:

186 balantum pecudes quatit: omnes arma requirunt.
269 spernitur orator bonus, horridus miles amatur.

Quae incisiones minime suaves quin magis ex sententiarum constructione quam ex ordinum natura a poeta petitae sint, quis est qui dubitet? Nam ex verborum collocatione versus 269, quae fficitur figura, quam Graeci χιασμὸν vocant, facile cognosci potest poetam arti rhetoricae studuisse. Eidem studio attribuo structuram sen-

tentiarum versus 186, in quo certe aliquid quam subito fiat exprimitur. Etiam Vergilius, qui hunc versum imitatus et ex parte mutuatus est, locum, cui eum inseruit, arte rhetorica distinxit.[1])

Ennius igitur incisionem post sextum semipedem accedente gravi interpunctione in his versibus non forte admisit, sed ut effectum artis rhetoricae assequeretur, consulto rhythmum violare non dubitavit (cf. Meyer l. c. 1884 p. 980; 1889 II 233). Neque a vero me abesse puto, si etiam Lucilium membra orationis rhetorice disposuisse suspicor in hoc versu:

293 tristis, difficelis sumus, fastidimus bonorum.

Neque vero caret excusatione quadam asyndeton huius versus Lucretiani: III 489

concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus.[2])

Nam poeta in descriptione hominis morbo comitiali laborantis certe depingendi causa vivida et valde concitata oratione usus est. Quo factum est, ut rhythmum distinctione ab hexametro aliena violaret (cf. Heinze ad h. v.).

Improbandam autem esse censeo sensus moram, quae in versu II 995 a Briegero in fine tertii pedis collocata est.

feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
et genus humanum parit, omnia saecla ferarum,
pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt.

---

1) cf. Verg. Aen. VII 624:
pars pedes ire parat campis, pars arduus altis
pulverulentus equis furit; omnes arma requirunt.

2) cf. Enn. ann. 517
spiritus ex anima calida spumas agit albas,
unde Lucretium elocutionem *spumas agit* hausisse puto.

Nam ista distinctione non solum anaphora deletur, verum etiam verba *omnia saecla ferarum* coniunctione cum praecedentibus carent. Itaque recte Lachmannus et Bernaysius post tertiam arsin interpunxerunt.

2. Sententias diversi ordinis post tertium pedem e dactylo constantem raro distinxerunt Lucilius et Lucretius.

Exempli gratia exscribam hunc versum, quem iam supra exhibui: Lucr. VI 747

Is locus est Cumas apud, acri sulpure montes
oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti,

cf. Lucil. 203. 273. 475. 1368; Lucr. II 591. IV 29. 867. VI 747. V 474.

II. Deinde tractanda est interpunctio eorum versuum, quorum tertius pes constat e spondeo. Talem in modum tertio pede effecto sensum post eum inciderunt Lucilius et Lucretius. Atque monendum est hos poetas versus saepe ita composuisse, ut sextus semipes cum sequenti voce elisione colliquescat.

1a. Sententias eiusdem ordinis rursum ita distinxerunt, ut eas coniunctione copulativa conecterent, veluti:

Lucil. 996

vir mare metitur magnum et se fluctibus tradit

cf. 79. 308. Lucr. IV 1123. 1195. V 438. IV 505. VI 55. 175.

b. Quam consuetudinem coniungendi sententias sprevit solus Lucilius in his versibus:

34 quare divinas quicquam? an tu quaerere debes

(cf. quae de hoc versu dixi p. 10, 2).

179 adsequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum . .

In hoc versu cum poeta tertium pedem spondaicum una voce contineri pateretur, hexametrum inusitatissimum composuit (cf. Hilberg l. c. p. 240). Itaque et dissolutio post sextum semipedem minori diligentiae poetae tribui

potest. Excusatur autem quadamtenus, quod elisione obscurata est. Deinde poeta et dissolutione et concitata oratione ideo usus esse videtur, ut qua celeritate fera bestia hominem necopinantem corripiat indicetur (cf. Marx ad h. v.).

356 fervere, ne longum. vero: hoc lectoribus tradam.

Hic quoque versus, qui simul post tertiam arsin et thesin sensum incisum praebet, singularem locum obtinet in carminibus poetarum veterum. Itaque quamquam poeta etiam hic dissolutionem elisione obscurare non omisit, magna dubitatio oritur rectene sic Marxius versum distinxerit.

De versu: 1102 –⏑⏑–⏑ agi pes vocem mittere coepit quid iudicandum sit nescimus.[1])

2. Sententias diversi ordinis post hunc pedem e spondeo constantem praeter Lucretium nemo poetarum veterum distinxit.

VI 409 cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus,

cf. III 876. IV 810. VI 550 (hunc versum ita emendavit Bockemuellerus, ut interpunctio fieret post sextum semipedem; aliter eum restituerunt Lachmannus et Munro) VI 879. 677. V 1429 (conferas quae de hoc versu disseruit Guilelmus Grimm in act. acad. Berol. 1851 p. 630).

Restat, ut moneam Lucilium et Lucretium sententias diversi ordinis post tertium pedem maxime tum distinxisse cum sententia hoc loco terminata primaria est.

Tum versus, qui tertia trochaica sunt incisi post sextum semipedem poetae veteres praeter Lucilium non distinxerunt. Versus in hunc modum divisi sunt:

56 qui di te, montane, malum — atque ad cetera pergit

[1]) agi: sic cod. Festi p. 210, 30; Gai pes scripserunt Lachmannus et Hirschfeldius (Herm. VIII 469), quo dissolutio tollitur.

Sed vides in hac imprecatione verbum omissum itaque sententiam ad finem non perductam esse[1]).

1114 funis enim praecisus cito atque anquina soluta
552 'si non it, capito' inquit 'eum, et si calvitur'. "ergo fur dominum?" (cf. p. 70)

In utroque versu interstitium elisione obscuratum est et sententiae inter se sunt copulatae.

Sed quod attinet ad sensus incisionem in versu 552 ne hoc quidem neglegendum est poetam verbis quamvis mutatis legis XII tabularum uti (cf. Bruns f. i. R. l. XII tab. I 1), quae in numeros dactylicos non sine difficultate redigi poterant. Id igitur etiam ad sententias in versu dirimendas aliquid valuisse videtur.

4.

§ 1. Praeter caesuram semiquinariam in versu heroico Latino *caesura semiseptenaria* creberrime adhibetur, quam aut principalem versus incisionem esse aut subsidiariam penthemimeri vel tertiae trochaicae accedere poetae volebant. Itaque haec rhythmi distinctio poetis maximam facultatem ad sententias distinguendas dabat (cf. Klapp l. c. p. 5). Quo factum est, ut eodem modo atque in semiquinaria etiam in hac sede omnia genera enuntiationum et leviter et graviter distinguerentur.

§ 2. At *post quartum trochaeum* iam Graecos rarissime hexametros incidisse notum est. Quam regulam antiquissimus quisque poetarum Romanorum excepto Ennio diligentissime observabat (cf. Cavallin l. c. p. 10 adn.). Itaque non mirabimur, quod raro evenit, ut hoc loco sensus interstitium fieret. Si autem admittitur, poetae id spectabant, ne graviore interpunctione notaretur (cf.

[1]) Friedericus Leo, qui in forma huius versus offendit, nuperrime de eo egit Gött. gel. Anz. 1906 p. 843, ubi hanc formam proposuit: qui te ⟨mons⟩, montane, mali — tum ad cetera pergit.

Mueller l. c. p. 217). Gravi sensus intervallo plane in hac sede abstinuit Lucretius, at Ennius et Lucilius vel asyndeton in ea ponere non dubitabant.

Omnino sensus distinctionem post hunc trochaeum aspernati sunt Cicero et Catullus, quorum ille in hac sede quamvis raro versum incidere non dubitavit (cf. Cavallin l. c. p. 8—10), hic autem eam caesuram in carminibus meris hexametris compositis LXII et LXIV plane vitavit (cf. Baumann l. c. p. 15. Norden l. c. App. VII 2 b p. 417).

Exempla autem sensus in hac sede incisi, quae apud singulos poetas exstant, sunt haec:

I. Sententiae eiusdem ordinis in quarta thesi distinctae inveniuntur in his versibus:

1. sententiae primariae vel secundariae, quae coniunctione copulantur.

a. Lucil. 528

novisse aiebat solos, sed demagis istos
ex nimbo austellos nec nosse nec esse putare.

Lucr. II 188

sursus enim versus gignuntur et augmina sumunt

II 1004

inde aliis aliud coniungit et efficit omnes
res ut convertant formas mutentque colores.

Hoc loco sequor lectionem codicum quam retinuit Brieger aliique editores, nisi quod pro *ita* v. 1005 *ut*, quod recentiores codices tradunt, intulerunt; nam Lachmannus, quem secutus est Bernaysius, hunc locum, quod mors ea quae peremisset restituere dici non posset, sic correxit:

inde aliis aliud coniungitur et fit ut omnes
res ita convertant formas...,

quam emendationem nec necessariam nec probabilem esse puto.

V 260

ergo terra tibi libatur et aucta recrescit.

b. Lucr. III 183

quam sibi mens fieri proponit et inchoat ipsa,

VI 239

nunc ea quo pacto gignantur et impete tanto
fiant,

VI 1051 propterea quia
posterior lapidis venit aestus et omnia plena
invenit in ferro...

Adiungendi sunt hi versus: VI 932

perpetuo quoniam sentimus et omnia semper
cernere odorari licet et sentire sonare.

Quorum versuum posteriorem, quod sententiam prioris et praecedentium versuum perverteret durumque genus loquendi praeberet, Lachmannus (IV, 228. 229) ab interpolatore adiectum itaque tollendum esse non sane probabiliter existimavit.

2. Qui nunc afferendi sunt versus post quartum trochaeum distincti eos contra usum factos esse dicas. Nam sensus intervallum inter enuntiationes primarias hoc loco positum exhibent, quae omni carent coniunctione. Neque tamen qui hoc modo in ista sede sensum inciderunt Ennius et Lucilius prorsus sine consilio id fecisse videntur. Sed iam eos versus afferamus.

Enn. 187

incedunt arbusta per alta, securibus caedunt.

Cuius versus interpunctionem improbavit Hilbergius (l. c. p. 239). Nam Ennium distinctione inter duas sententias admissa, quas dissolute collocaverit, legem violare dicit, quam nisi apud satiricos et nonnullos posterioris temporis poetas neglectam non reperimus. Itaque ἅπαξ εἰρημένῳ *peraltus* formato sic orationem distinxit:

incedunt. arbusta peralta securibus caedunt.

Verbum novatum eo excusat, quod Woelfflinus (Latein. Comparation, Erlangen 1879, p. 26 sq.) inter adiectiva et adverbia quorum *per* praepositione vis augeatur, multa esse ἅπαξ εἰρημένα ostendit. Sed verba ita formata plerumque apud Plautum et in Ciceronis epistulis reperiri itaque magis sermoni cotidiano quam litterarum linguae tribuenda esse neglexit (cf. Woelfflinum ibid.).[1])

Quae cum ita sint, videndum est, num quid ad hanc interpunctionem excusandam, quae tam inusitata esse videatur, proferri possit. Spectanda autem sunt haec:

Ennius in hoc sequentibusque versibus, qui ad rogum in proelio Heracleensi caesorum pertinent, Homerum est secutus (cf. Vahlen praef. 177). Hi versus autem Homeri cum Enniano de quo agitur conferendi sunt:

Il. XXIII 114

οἱ δ᾿ἴσαν ὑλοτόμους πελέκεας ἐν χερσὶν ἔχοντες

et 116:

πολλὰ δ᾿ἄναντα, κάταντα, πάραντά τε δόχμιά τ᾿ ἦλθον,

quorum v. 116 iam apud veteres propter μίμησιν celebratus erat (cf. Demetr. Phaler. De elocutione p. 219 R.). Itaque credo Ennium quoque tertio quartoque trochaeo coniunctis imitari voluisse artem depingendi Homericam, qua quomodo silva pervadatur pulchre trochaicis incisionibus describitur (cf. Norden l. c. ad v. 179 sqq.).

Deinde poetam Romanum annominatione verborum *incedere* et *caedere* et alliteratione vocum *arbusta* et *alta* orationem exornare studuisse neminem effugere potest.

1) Quominus *per* praepositio cum verbo incedendi coniungatur, nil obstat, cum usurpetur apud notiones eundi, vehendi, alias, ut locum aliquem medium pervadi indicet (cf. Obricatis, de per prae, positionis Latinae . . . usu qualis obtinuerit ante Ciceronis aetatem diss. Regimonti 1884 p. 5 sqq.).

Quae cum ita sint, etiam interpunctionem in quarta thesi Ennius consulto videtur admisisse. Adde quod Ennius crebrius et liberius asyndeto in singulis hexametri sedibus quam alii poetae veteres usus est. Conferas velim dissolutiones ab eo admissas post primum spondeum (cf. p. 28) et post quartum sextumque semipedem (cf. p. 41. p. 50). Itaque etiam haec dissolutio post quartum trochaeum liberiori dissolutionis in hexametro usui potest tribui.

Deinde Lucilius inter duas sententias dissolute positas in quarta thesi interpunctionem admisit in his versibus:

280 testam sumit homo Samiam sibi, 'anu noceo' inquit.

Ut mitigatam elisione vides gravem sensus incisionem in hoc versu, ita coniectura Lachmanni arcessita est. Nam codd. Nonii praebent in quarta thesi *ibi*. Fortasse igitur Baehrensii coniecturam (frg. 209), qui pro *ibi* : *tibi* scripsit, recipere et post quartam arsin sensum incidere praestat.

1092 nos esse arquatos: surgamus, eamus, agamus (cf. p. 65).

Lucilius hunc versum suavem et politum reddere omnino non curavit, sed tres imperativos simul et asyndeton posuit. Qua alacri vociferatione ideo usus est, ut celeritatem exprimeret (cf. Marx ad h. v., Cavallin l. c. p. 54).

512 commanducatus corrupit, ad incita adegit

Ad excusandam interpunctionem huius versus quid proferri possit nescio.

II. Diversi ordinis enuntiationes in quarta thesi Lucretius in his versibus distinxit:

I 875 linquitur hic quaedam latitandi copia tenvis,
id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnis
res putet immixtas rebus latitare,

III 354 quid sit enim corpus sentire quis afferet unquam,

VI 177

mobilitate sua fervescit, ut omnia motu
percalefacta vides ardescere.

Vides autem Lucretium et enuntiationes diversi ordinis ita alteram ab altera pendentes fecisse, ut quam levissimum sensus interstitium fieret in quarta thesi.

Falso loco editores distinxisse censeo versum Lucretianum IV 236.

IV 234

nunc igitur si quadratum temptamus et id nos
commovet in tenebris, in luci quae poterit res
accidere ad speciem quadrata, nisi eius imago?

Interpunctionem potius post speciem collocandam esse puto.

§ 3. Rhythmum congruentia verbi finiti cum pede finito dissolvere Romani poetae dactylici plerumque vitabant. Poetae veteres eam congruentiam saepe admiserunt in fine primi et quarti pedis. Atque ut post primum pedem sententias graviter distinguere non dubitabant, ita praecipue post quartum pedem sensus finem graviter notare solebant. Sensus autem intervallo subsequente hunc pedem Graeci poetae plerumque dactylico verbo efficiebant (cf. Rossbach, Griech. Metr. Lpz. 1889[3] p. 28), at poetae Romani eum et verbo dactylico et spondaico formabant praeter Ciceronem, qui quartum pedem sensus fine succedente in omnibus fere exemplis Graecorum morem secutus dactylo effecit.

5.

Leges hexametri in fine elimandi, quas supra constituimus, veteres poetae nondum severe observabant (cf. Meyer l. c. 1884 p. 1034). Quo factum est, ut saepius

quam posteriores verbi finem post quintam arsin admitterent neque in hac sede sensus finem collocare dubitarent. Quo loco sensum finiri reperimus apud Ennium Lucilium, Lucretium.

§ 1. I. Primum post quintam arsin sensus moram inter duas enuntiationes eiusdem ordinis deprehendimus, quae coniunctione copulativa coniunctae sunt.

1. Enn. 42

> tardaque vestigare et quaerere te neque posse
> corde capessere (sc. videbar).

In hoc exemplo sententiae ab uno verbo pendent et pronomen *te* sub quinta arsi, cui sensus finis succedit, *ἀπὸ κοινοῦ* positum est. Itaque hic quam levissimum sensus interstitium statuendum est.

Lucil. 57

> inpuratum hunc in fauces invasse animamque
> elisisse illi

Lucr. III 133

> sive aliunde ipsi porro traxere et in illam
> transtulerunt,

VI 686

> hic ubi percaluit calefecitque omnia circum
> saxa furens, quae contingit, terramque et ab ollis
> excussit calidum flammis velocibus ignem,

In his exemplis poeta sensus finem, ut versus duritiam mitigaret, elisione obscuravit.

Falsam autem distinctionem post quintam arsin esse existimo in versu Lucretiano II 305, quem Brieger coniectura Pollii recepta (philol. XXV 270) sic restituit:

> nam neque quo possit genus ullum materiai
> *immenso* effugere ex omni quicquamst, neque in omne
> unde coorta queat nova vis irrumpere...

Omnes enim editores praeter Briegerum hoc loco sensum post quintam arsin incidere vitaverunt, qui quod

in extrema versus 305 parte excidit, vocabulo *immenso* in initio supplendum esse putavit. Quod non recte fecisse eum vel inde apparet, quod respondentibus elocutionibus *ex omni* et *in omne* alteri attributum addidit, alteri addere non potuit, qua ratione concinnitatem delevit. Itaque aptissime a Lachmanno versum 305 suppletum esse puto in hunc modum:

305 effugere ex omni quicquamst, neque in omne seorsum

Sic enim sensus finem post quintam arsin vitavit, quem inter duas enuntiationes primarias ita coniunctas nemo poetarum veterum admisit.

2a. Sequantur ea exempla, in quibus poetae gravem distinctionem post quintam arsin ita collocaverunt, ut sententias omnino inter se non coniungerent.

Lucr. III 179

principio esse aio persuptilem atque minutis
perquam corporibus factum constare. id ita esse . . .

Lucil. 451

si forte ac temere omnino quid, quorsum? ad honorem?

Ita versum constituit Marxius *cursum*, quod traditum est, in *quorsum* mutans et ellipsin Lucilio satis gratam adesse arbitratus.

Ellipses post quintam arsin Lucilius praeterea in his versibus distinxit:

559 ‘aurum vis hominemne? habeas.’ „hominem? quid ad aurum?”

1372 quare da te homini: complectetur, mihi crede.

Sententias huius versus iuxta positas, quae a Cicerone in epistulis II 8, 2 traduntur, postquam hexametrum in eis Orellius agnovit et Lucilio tribuit, re vera huic poetae ascribi posse argumentis comprobavit Marxius (cf. ad h. v.).

In his omnibus exemplis poetae sensus intervallum aut elisione obscuraverunt aut detractione quadam usi

sunt, qua oratio concitatior efficitur et gravis sensus mora minuitur.

b. Restant versus Ennii post quintam arsin graviter distincti, quos paene contra usum poetarum Romanorum compositos esse dixeris:

Enn. 40

et ripas raptare locosque novos; ita sola
postilla, germana soror, errare videbar.

110 pectora . . . tenet desiderium, simul inter
sese sic memorant:

Fortasse hic versus Graecorum more confectus est; nam poetas Graecos et imprimis Homerum longiore verbo praecedente post quintam arsin sensus finem admisisse Gerhardus (l. c. p. 221) demonstravit.

c. Postremo addendus est hic versus Lucilianus:

1249

„<quare me insidiis> petis, pipas? da." ‚Libet' inquit.

Sed silentio non praeteream hunc locum lacunis et mendis valde corruptum esse (cf. Marx ad h. v.) Itaque quam vere hic versus a Marxio sic restitutus sit dubito.

II. Deinde enuntiationes diversi ordinis post quintam arsin distinctas tantum in hoc versu Lucretiano deprehendi:

IV 473

et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum quaeram,

Coniunctione adversativa ut gravius sensus intervallum notatur, ita elisione satis mitigatur.

Tales autem versus, quales exstant apud Lucilium

256 pretium redimet qui vendit equum musimonem
et 381 pelliciendus quod est inducendus geminat l,

vix huc trahendi sunt; nam tam arte omnia cohaerent, ut nullam in eis distinctionem esse censeam. Hic nonnulla de hoc versu Lucretiano addam:

III 444

corpore qui (sc. aër) nostro rarus mage sit cohibessit?

Hunc enim locum, quo codd. *magis incohibescit* tradunt, multi sanare conati sunt: Lachmannus (ad h. v.), qui duas praepositiones verbis praemitti posse negat, nisi cum altera substantivi pars est, aptissime orationem iunxit, cum scriberet *magis is cohibessit?* (is sc. aër). Secutus est Lachmannum Munro, at Brieger illam lectionem, quam supra exhibui, a Winkelmanno (progr. Salzwedel 1857 p. 3) propositam lacuna ante hunc versum statuta recepit; nam Lucretium eandem sententiam atque praecedentem iterum expressisse negat. Neque tamen prorsus eandem sententiam atque antecedentem hic versus continet; nam poetam aëri, postquam eum cum corpore humano comparavit, addere voluisse puto illum propter raritatem minus etiam quam corpus animam cohibere posse. Quare lectioni editionis Briegerianae quem proposuit Lachmannus textum hoc loco praeferendum esse puto. —

Distinctionis igitur ratione post quintam arsin hexametri qualem poetae veteres dactylici observaverint tractata illam et rarissime et, omissis versibus Ennianis gravi interpunctione praeditis eisque Lucilianis quorum de forma ambigitur, non prorsus temere adhibitam esse neminem effugere potest. Denique dignum mihi videtur quod commemoretur Ciceronem et Catullum in hac sede sensus incisione plane abstinuisse.

§ 2. Apud Graecos exempla distinctionis post quintum hexametri trochaeum rarissima ne dicam paene nulla sunt (cf. Rossbach l. c. p. 32). At poetae dactylici Romani de quibus agitur praeter Catullum in hac sede sensus finem admiserunt, sed neque omnes pari frequentia neque isdem condicionibus. Inprimis hoc loco gravi intervallo sensus finem denotare vitaverunt.

Cum Lucretius longe plurima exempla sensus post quintum trochaeum finiti praebeat, non abs re esse puto eius exempla percensere et aliorum poetarum exempla singulis huius distinctionis generibus asserere.

I. 1. Lucretius in quinta thesi enuntiationes primarias et secundarias distinxit, quas coniunctionibus copulativis *que, et, neque* conexuit.

Exempli gratia hos versus exscripsisse satis habeo, cum numerus enuntiationum ita distinctarum in carmine Lucretiano permagnus sit:

V 923

sed vis quaeque suo ritu procedit et omnes
foedere naturae certo discrimina servant.

IV 913

ne fieri negites quae dicam posse retroque
vera repulsanti discedas pectore dicta.

2. Coniunctionibus adversativis *sed* et *at* ad sententias coniungendas in his versibus usus est.

I 248

haud igitur redit ad nilum res ulla, sed omnes
discidio redeunt in corpore materiai.

cf. I 922. III 616. I 877.

II 388

praeterea lumen per cornum transit, at imber
respuitur.

Sententiae ita distinctae apud alios poetas veteres praeter Ennium (fr. 515) omnino non reperiuntur.

3. At exstant apud Ennium et Lucilium versus, qui in quinta thesi dissolutionem praebeant; qua distinguendi ratione etiam Lucretius non abstinuit. Exempla autem sunt:

Enn. 166

inicit irritatus, tenet occasus, iuvat res.

Lucil. 1092
nos esse arquatos; surgamus, eamus, agamus. (cf. p. 58.)

Ut in his celeritati describendae inservit asyndeton et metrum, ita in sequentibus fortasse statui hominis laborantis, senescentis, ebrii:

Lucr. III 490
desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat.

Lucr. III 453
claudicat ingenium, delirat lingua, labat mens.

III 479 praepediuntur
crura vacillanti, tardescit lingua, labat mens.

Pondus quoddam orationi additur asyndeto adhibito in hoc versu:

Lucr. III 58
eiciuntur et eripitur persona, manet res.

Praeterea asyndeton in quinta thesi invenitur in his versibus:

Lucil. 499
praeterquam in pretio: primus semisse, secundus
nummo, tertius iam pluris quam totus medimnus.

419 et formosus homo fuit et famosus, utrumque
primo adulescens, posterius dare rectius sese.

Alterum exemplum praebet enumerationem, alterum annominationem.

Lucr. IV 119
quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus?

IV 486
an poterunt oculos aures reprehendere, an aures
tactus? an hunc porro tactum sapor arguit oris?

VI 404
in mare quo porro mittit ratione? quid undas
arguit et liquidam molem camposque natantes?

Haec exempla anaphora distincta sunt.

Restat, ut addantur hi versus:

Lucr. I 787

nec cessare haec inter se mutare, meare
a caelo ad terram, de terra ad sidera mundi.

III 962

aequo animoque agedum dignis concede: necessest.

IV 806

ut videat quod consequitur rem quamque: fit ergo.

VI 1080

cetera iam quam multa licet reperire. quid ergo?

II. Deinde sensus moram in quinta thesi, quae separat enuntiationes diversi ordinis, praeter Ennium et Catullum omnes poetae veteres admiserunt.

1. Levissima est hoc loco distinctio, si in fine enuntiationis secundariae inter aliam enuntiationem sive primariam sive secundariam interpositae collocata est, veluti:

Lucil. 92

id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto;

cf. Lucil 1054. 1227. 1327. Cic. Arat. 364. Lucr. I 319. III 1083. I 966. II 457. IV 324. I 649. IV 1190.

2. Finem enuntiationis primariae, cui succedit secundaria, hoc loco praeter Lucretium nemo poetarum veterum admisit.

Lucr. IV 524

principio auditur sonus et vox omnis, in auris
insinuata suo pepulere ubi corpore sensum.

cf. IV 593. V 226. VI 701.—I 902. III 754. IV 762. VI 1056.—II 17. V 552.—VI 515.

Sententias autem secundarias, e quibus subsequens enuntiatio inferior pendet, Lucilius et Lucretius in hac sede terminaverunt; cf. Lucil. 1054. Lucr. II 641; III 288. 548; IV 57. 834; V 685. 814. 871; VI 555. 1059.

3. At crebrior distinctionis usus in quinta thesi apud veteres poetas est, si sententia secundaria hoc loco finitur, cui succedit primaria. Invenitur hic usus apud Lucilium et Lucretium, veluti:

Lucil. 181

quo me habeam pacto, tametsi non quaeris, docebo.

Longum esse censeo omnia exempla enumerare, quae in Lucretii carmine inveniuntur, quippe qui vicies circiter quinquies in hunc modum post quintum trochaeum orationem inciderit.

4. Denique Lucretius in quinta thesi ter orationem sic distinxit, ut ibi enuntiationi inferioris ordinis enuntiationem primariam annecteret, quam cum praecedente sententia primaria coniunctione copulativa coniunxit.

Lucr. II 1026

sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
difficilis magis ad credendum constet, itemque
nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam.

cf VI 103. 675.

Incertum autem est, num distinctio statuenda sit in exemplis sic formatis:

Lucil. 216

–⏑⏑–⏑⏑ hic solus vigilavit, opinor.

Nam ambigi potest, num verbum sentiendi enuntiato insertum sit et cum eo unum sensum efficiat. Mea quidem sententia omnia verba dicendi et sentiendi, quae enuntiato hoc modo adiecta vel inserta sunt, cum eo ita coalescunt, ut unum sensum efficiant (cf. L. Mueller l. c. p. 208).[1]

[1]) In distinctione quinti trochaei tractanda omnia exempla praetermittenda esse censui, quae in hunc fere modum formata sunt:

Lucr. I 859 praeterea quoniam cibus auget corpus alitque,
quod verba, quae coniunguntur, unam notionem efficiunt.

§ 3. In fine quinti pedis hexametri poetas dactylicos Graecos interpunctione uti diligentissime et accuratissime vitasse iam veteres grammatici observaverunt. Nam ad Od. β 77 (Schol. Harl.) Nicanor hoc adnotavit: Οὐδέποτε ὁ εἰκοστὸς χρόνος τοῦ ἡρωϊκοῦ στιγμὴν ἐπιδέχεται. Itaque in versu heroico Graeco interpunctio post quintum pedem admodum rara est (cf. Gerhard l. c. 227). Aliquoties ea usi sunt Aristophanes (cf. Equ. 1052) et poetae elegiaci et epigrammatici posterioris temporis (cf. Gerhard l. c. p. 229; Rossbach l. c. p. 33).

At longe aliter res se habet in versibus heroicis poetarum veterum Romanorum, qui quibusdam exceptis ante ultimum pedem sensum terminare non dubitaverunt.

Sed quibus condicionibus in hac sede dictinctio facta sit iam videamus. Bentleius enim (ad Lucan. I 231), ubicumque post pedem quintum distinctio plenior fieret, sextum pedem a poetis, quia ob coli finem in legendo vox deprimeretur, rursus ut elevaretur, e duobus monosyllabis confectum esse dixit. Idem vocem in ultimo hexametri pede eo magis extolli, cum monosyllabum repetitum est, eodem loco comprobavit. Eodem modo nonnunquam et disyllabon repetiti verbi potestate in pede ultimo fungi posse docuit.

Sed Bentleius ipse, qui ad suam sententiam confirmandam exemplis e Vergilio et Lucano promptis usus est, ad has leges poetas ceteros se accommodasse dicere ausus non est. Quam non recte fecerit et ex eis apparet, quae contra Bentlei leges protulit L. Mueller (p. 271), et ex eis, quae de interpunctionis ante ultimum hexametri latini pedem usu, qualis apud singulos poetas veteres sit, ipsi dicturi sumus.

Interpunctionem post quintum pedem poetae veteres his condicionibus admiserunt.

I. 1. Primum post hunc pedem sensus moram invenimus inter duas enuntiationes eiusdem ordinis. Quarum nisi enuntiationes secundariae particulis coniunctae non sunt. Porro nemo poetarum veterum praeter Lucretium enuntiationes secundarias sic distinctas conformavit, qui eas etiam sic confecit, ut coniunctio vel pronomen monosyllabum, a quibus pendent sententiae, repetatur.

Lucr. II 1125

dum facile in venas cibus omnis diditur et dum
non ita sunt late dispessa, ut multa remittant,

cf. III 221. IV 259. 535. 939. V 1071.

Certe talibus exemplis Bentleius, ut illam pravam legem statueret commotus est; verum quam multa sint, quibus refellatur, iam ex eis quae sequuntur cognoscas.

2. Enuntiationes primarias hoc loco distinctas omnino non coniungebant Cicero, Lucretius maximeque Lucilius. Itaque sensus incisio in eis gravis est. Enuntiationes autem, quarum partem iam supra attulimus, plerumque brevissimae sunt.

Lucii. 82

non dico: ‘vincat licet et vagus exulet, erret
exlex’

(cf. quae de hoc versu diximus p. 49).

179 adsequitur nec opinantem, in caput insilit, ipsum
commanducatur totum complexa comestque (cf. p. 52).

264 rador, subvellor, desquamor, pumicor, ornor (cf. p. 29).

543 Alcmenam, atque alias, Helenam ipsam denique — nolo
dicere:

Hoc loco Lucilius aposiopesin adhibet, ut usum cotidiani sermonis imitetur (cf. Marx ad h. v.).

Huc referas illum versum, quo Lucilius adversario maledicum genus poeseos vituperanti (cf. Marx) oratione dissoluta et sermoni vulgari propria respondet:

1026 omnes formonsi, fortes tibi, ego improbus. esto.

Addendi sunt hi versus, in quibus gravi distinctione post quintum pedem poetae ellipses separant:

Lucil. 534

ibat forte aries, inquit, iam quod genus, quantis
testibus.

Lucr. V 47

quidve suberbia spurcitia ac petulantia? quantas
efficiunt clades.

Quibus in exemplis poetae pronominibus interrogativis usi sunt, quae in priore sententia posita in initio posterioris iterata repetitionis vim si non syllabis, attamen sensu extollunt.

Denique adiungam haec duo exempla Luciliana:

552 'si non it, capito' inquit 'eum et si calvitur'. "ergo
fur dominum?"

(de quo versu conferas quae supra diximus p. 54), et:

1005 –⏑⏑–⏑⏑–⏑⏑– quid quaerimus? acri
inductum cantu, custoditum.

Quamquam Marxium hunc versum summa sagacitate restituisse et ad Ulixem, qui se vinculis bene alligatum ad malum custodiendum tradiderat sociis, rettulisse fateor, tamen gravem interpunctionem, quod neque necessaria sit et ab aliis exemplis discedat, dubiam esse puto.

Singularem locum obtinet interpunctio ante ultimum hexametri pedem in hoc versu Ciceroniano (cf. Norden l. c. App. II 4, 4 p. 381):

Cic. Arat. 266

hic totus medius circo disiungitur; iste
pectoribus validis atque alvo possidet orbem.

Sed ubi sententiae contraria significant, ab omnibus fere scriptoribus dissolutio saepe adhibetur. Opponere autem potes mihi in codicibus (D. et H.) non tradi *iste*, sed *ipse*. Ita est, nihilominus Grotium recte textum Graecum respicientem (cf. Arat. 490 sqq.) pro *ipse iste* posuisse credo. Sic enim optime pronomina alterum alteri opposita non modo in initio enuntiationum, sed etiam in initio et fine versus, duabus versus sedibus insignibus, sibi respondent, quam collocationem poetae consilio attribuere non dubito.

Hic etiam tractandus est versus Lucretianus VI 896 in codicibus sic traditus:

895 sic igitur per eum possunt erumpere fontem
et scatere illa foras in stuppam semina que cum
conveniunt...

Quem locum sic restituit Lambinus, quem sequi solent editores:

896 et scatere illa foras in stuppam semina; quo cum
conveniunt...

Ego vero in hac coniectura offendo. Lucretium enim post quintum pedem nullo loco ellipsi versus V 47 excepta gravem interpunctionem usurpavisse supra demonstravimus. Neque igitur crediderim id eum nostro loco fecisse, quamvis pronomine relativo coniunctionem effecerit. Itaque Munronis distinctionem probandam esse censeo codicum lectione servata, quae est haec:

et scatere illa foras, in stuppam semina quae cum
conveniunt..

Haec distinctio etiam eo probatur, quod stuppa aut taeda in aqua iacere non solet, sed afferri debet, ut semina vaporis concipere possit (cf. Brieger, Bursians Jhrb. 1873 II p. 1111).

Lucretius igitur hoc loco sententias ita composuit, ut nomen cum attributo cohaerens in sententiam subiunctam relativam reiceret et ἀπὸ κοινοῦ ponceret.[1])

II. Deinde post quintum pedem poetae veteres enuntiationes diversi ordinis distinxerunt.

1. Sententias inferioris ordinis sive relativas sive a coniunctione pendentes inter enuntiationem superioris ordinis interpositas post hunc pedem terminaverunt.

Lucr. IV 242

praeterea fit uti, speciem quo vertimus, omnes
res....feriant,

cf. Lucil. 359; Lucr. II 315; VI 23; III 261.

Huc etiam spectat hoc exemplum praeteritionis:

IV 690

quam sonitus, quam vox, mitto iam dicere, quam res

In his omnibus exemplis interpunctio paene nulla est.

2. Enuntiationi primariae aut secundariae hoc loco finitae sententiam relativam succedentem faciebant. Quod cum saepe factum sit, praecipue notandum esse senseo:

Lucr. IV 116

primum animalia sunt iam partim tantula, quorum
tertia pars...

cf. Lucil. 1036. 1235; Lucr. I 242. 684. 360; II 1070; III 317; II 308; III 852; II 331; VI 771; II 886.

3. Enuntiationes hic separaverunt, quarum altera aut utraque e coniunctione aliqua pendet.

---

[1]) De hoc genere dicendi copiose disputavit F. Leo: Analecta Plautina I progr. Gottingae 1896 p. 20 sqq. Unde exscribo exempli gratia hos versus Plautinos:

Poen. 449 di illum infelicent omnes, qui post hunc diem
leno ullam Veneri umquam immolavit hostiam

Most. 811 non tu vides hunc, voltu uti tristis senex?

Quibus etiam facilius traiectio Lucretiana intellegitur, quippe in qua vocabulum semina et nominativi et accusativi vice fungi possit.

a. Lucr. II 203

sic igitur debent flammae quoque posse per auras
aëris expressae sursum succedere, quamquam
pondera... ducere pugnent;

cf. I 434; V 586; VI 432 quae exempla in fine versus bina monosyllaba praebent. Reliqua exempla eius generis sunt: Lucil. 1224; Lucr. III 379; IV 265. 499; VI 463. 624. 1062. Incerta exempla sunt II 428 et III 959. Neque magis firmatum est hoc Lucilii exemplum:

1293 saxa et stridor ubi atque furentum sibilus, isti;

nam traditum est (Non. p. 223, 27) *atque erunt dum sibilus institis.* Duabus igitur sedibus corruptus est versus. Multis modis viri docti eum restituere conati sunt; neque emendationem Marxianam, quam supra attuli, ceteris probabiliorem dixeris.

b. Lucil. 1344

ut me scire volo, dum mimi conscius, summum
ne damnum faciam, scire hoc se nescit.

Quae periodos in scholio ad Persium I 27 allata pessime tradita est, ut versus, in quos ab editoribus redacta est, maxime inter se discrepent.

Lucr. III 1005

quod faciunt nobis annorum tempora, circum
cum redeunt.

Lachmannus qui quid sit *circum redire* non intellegit et non annos, sed cupiditatem nostram facere dicit, ut animus nunquam expleatur et satietur, *quod* vocabulo coniunctionis vim attribuens ita hunc locum correxit:

quod faciunt nobis annorum tempora victum,
cum redeunt.

Sed nemo aliorum editorum eum secutus est.

Lucr. II 927.

quatenus in pullos animalis vertier ova
cernimus alituum, vermisque effervere, terram
intempestivos quom putor cepit ob imbres.

Codicum lectionem, qui praebent: *offervere terram intempestivus quam*... iam Marullus ita correxit: *intempestivos cum putor coepit ob imbreis*, sed non recte distinctionis signum ante *intempestivos* posuit. *Effervere* verbum cum accusativum regere non posse Lambinus videret, distinctione emendata sic scripsit: *effervere, terram cum cepit,* quod omnes qui secuti sunt editores receperunt.

Collocatione verborum Lucretius sensus moram obscuravit in hoc versu:

III 843 et si iam nostro sentit de corpore postquam
distractast animi natura animaeque potestas.

Lachmannus post corpore distinxit, sed quantum video, nemo eum secutus est; nam omnes *nostro de corpore* recte cum verbo distrahere coniungunt.

De interpunctione in versibus, qui ita formati sunt:

Lucil. 1185

haec odiosa mihi vitiligo est. ‚num dolet?' inquit.

conferas quae de eadem re diximus ad quintum pedem (p. 67).

6.

Etsi in versu heroico Latino iam inde ab initio non raro evenit, ut post sextam arsin vocabulum succedente voce monosyllaba saepe non sine accentu pronuntianda (cf. Hermann, el. p. 342) terminetur, tamen poetae veteres Latini ante extremum versus semipedem orationem concludere novamque sententiam incipere religiosissime veriti sunt. Qua de causa hoc loco sensum terminatum nisi apud Lucilium et Lucretium non invenies, qui eum ibi in his versibus finierunt:

I. Lucil. 184

ut periisse velis quem visere nolueris, cum
debueris.

Hunc quoque versum inter eos esse apparet, quos poeta stans pede in uno (Hor. s. I 4, 10) fecit.[1])

Similiter hoc loco Lucretius sententias distinxit in hoc versu: III 1050

nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum
ebrius urgeris multis miser undique curis.

II. Praeterea Lucretius ante extremum hexametri semipedem sensus interstitium nisi his condicionibus non admisit.

1. Primum enuntiato post sextam arsin finito sententiam relativam ita adnexuit, ut pronomen relativum, quod sextam thesin occupat, ad pronomen demonstrativum vel determinativum vel nomen *res*, quae omnia sextam arsin obtinentia fecit, referret. Exempla sunt:

IV 760

usque adeo, certe ut videamur cernere eum quem
rellicta vita iam mors et terra possedit.

II 478

quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat.

Idem fere exhibent hi loci: II 925; V 9; IV 231 (II 522).

2. Similiter adverbium *quam* ad comparativum *magis* in comparatione refertur:

II 57

---nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.

Idem recurrit III 89; VI 37. Forsitan huc referat quispiam I 738.

---

1) cf. etiam Leo, Gött. gel. Anz. 1906 p. 845 sqq.

3. Tum sensus interstitium post sextam arsin ita admisit Lucretius, ut sententiis adverbiis *propterea* vel *eo* clausis enuntiationem, quae ex coniunctione *quod* pendet, succedentem faceret:

V 1172

his igitur sensum tribuebant propterea quod
membra movere videbantur,

cf. II 799; IV 340; VI 53; IV 293.

4. Denique hic commemorandae sunt formulae *sunt qui* et *est ut*, quae occurrunt in sexto pede in versibus Lucretianis V 362 et III 725. Sed in his nullum sensus interstitium inest, quod unius quodammodo vocis instar sunt (cf. Mueller l. c. p. 268. 273).

Vides igitur poetas veteres, ne sextam thesin ita formarent, ut ibi monosyllabum ponerent, cuius vis ad sequens metrum tenderet, neve eam ab arsi graviore distinctione divellerent, summopere curavisse. Quo effecerunt, ne sensus incisiones nimium a metricis absonarent (cf. Mueller l. c. p. 268. Buechel, De re metrica Lucretii p. 5, progr. gymn. Höxter a. d. W. 1874).

In fine hexametri, poetae sententias cuiusvis generis distinxerunt (cf. p. 6).

Haec sunt, quae de sensus interstitio in hexametro poetarum veterum Romanorum in hac dissertatione habui disceptanda.

Vita.

Natus sum Franciscus Sylla Poppelaviae, in vico pagi Oppoloniensis, a. d. VIII. Kal. Apriles anno antecedentis saeculi LXXVI patre Paulo, quem praematura morte abreptum valde lugeo, matre Maria e gente Woiczik. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus ab anno tertio decimo gymnasium Bregense frequentavi. Vere anni MDCCCLXXXXVIII testimonio maturitatis instructus universitatem Vratislaviensem adii, ut iuris prudentiae operam navarem. Sed bis sex mensibus post in eadem universitate studiis philologicis et archaeologicis me dedidi.

Docuerunt me viri doctissimi:

Baumgartner, Bobertag, Brie, Caro †, Cichorius, Ebbinghaus, Fischer, Foerster, Freudenthal, Heymann, Hoffmann, Joers, Koch, Kükenthal, Leonhard, C. F. W. Mueller †, Norden, Skutsch, Sombart, Stern, Vogt, Wuensch, Zacher.

Proseminarii philologici sodalis fui per duo semestria, seminarii philologici ut sodalis ordinarius essem per quattuor semestria benigne mihi concesserunt Foerster, Norden, Skutsch. Ad exercitationes seminarii archaeologici aditum mihi praebuit Foerster.

Quibus viris omnibus gratias iustas ac debitas ago semperque me habiturum profiteor, imprimis Nordeno, qui me ad hanc commentationem scribendam incitavit, neque minus Skutschio, qui in dissertatione perficienda et edenda benigne me adiuvit.

Sententiae controversae

I. Veteres neque ante neque post vocativum nostro more interpunctione usi sunt.

II. Lucretium in extrema parte hexametri saepe ἓν διὰ δυοῖν ideo adhibuisse puto, ut grave sensus interstitium ante finem versus vitaret.

III. Falso interpretatus est Michael Mueller (Phil. 60. 1901 p. 265) verba in Senecae Medea: 516 sq.

Jas. *Hinc rex et illinc* — Med. *Est et his maior metus: Medea.*

IV. In eiusdem fabulae v. 768 coniectura Leonis *die reducto* pro codicum lectione *die relicto* reicienda est.

V. In Ovidii Fast. I 538 codicum meliorum lectio:

substitit in medios praescia lingua sonos

tenenda est.